Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONII SANDERI
PRESBYTERI,
S. Th. Licentiati
HAGIOLOGIVM FLANDRIAE
SIVE
De Sanctis eius Prouinciæ Liber vnus
AD
Ampliſſimum Dominum IOACHIMVM ARSENIVM
Abbatem BLANDINIENSEM.



BIBL. SOC. IESV COLL. ROM.
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIÆ.
Apud Gulielmum à Tongris.
M. DC. XXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO
ET AMPLISSIMO VIRO
DOMINO
IOACHIMO ARSENIO
SCHAYCK

Abbati Blandiniẽſi, Harnæ Comiti, Flandriæ Primati, &c.

ANTONIVS SANDERVS Presbyter

D. D.

Q Vi tuis auſpicis euulgatur liber, Ampliſſime Domine, ſummatim & per compendium deſcriptos Sanctos ac venerabiles Flandriæ viros, Sanctas item, Deoque amicas mulieres continet, eorum, inquam, natale ſolum, geſta, obitus. Nullum illuſtrius ac æſtimandum magis, quàm à ſanctimonia & iuſtitia patriæ ornamentum eſt. Cætera fluxa atque labilia, virtus clara æternaque habetur, aiebat ille, ac verè quidē & ſapienter, immenſo enim interuallo humana omnia poſt ſe relinquit, Rempublicam attollit, ab ea magnarum vrbiū imperiorū initia, augmenta ſummus, denique vigor; vti per

ſcelera earundem rerum exitia ſunt & ruina. Hanc itaque Prouinciam, vti varijs naturæ bonis felicem, ſic & diuinis muneribus ac gratiæ donis beatam, vt videamus, quæ in noſtratibus ac vicinarum regionum hiſtorijs ac libris inuenire potui, Sanctorum nomina coniunxi, tuoque ac Blandinienſis Cenobij (quod celebre omni æuo Sanctorum hoſpitum fuit, quodque præ cæteris nobile eſt ac antiquum) titulo ornata, publicæ lectioni permiſi. Illud porro vel ob eam cauſam iucundum Amplitudini tuæ futurum gratumque exiſtimo, quod dum iniuriâ temporum & inſaniâ hæreticorum collapſa Monaſterij tui magnâ ſolertiâ, egregioque zelo reſtaurare conniteris, & in priſtinam reducere maieſtatem; eorum pariter per quos dum veritatem & Chriſtum cognouimus, veram animi felicitatem nacti ſumus, memoriam effloreſcere, augeri honores, & gloriam propagari exoptes. Vale.

Digitized by Google

Stephanus Bellocaſsius in Sanctologo Flandriæ.

QVando recenſebant aliæ ſua numina terræ:
Sola verecundo ſtabam taciturnula vultu,
Solaque videbar non dignis vndique ſannis.
Ac ſi nemo meis ſanctus prodiſſet ab oris,
Nunc quæcunque mihi regio certare parata eſt, &c.

VOTVM
AD FLANDROS SANCTÆ MEMORIÆ VIROS

SAluete illuſtres animæ, Indigeteſque Beati,
Vos primum, diuâ qui Relligione potentes
Ornaſtis patrium magnis virtutibus orbem,
Exempliſque boni, monitiſque ſalubribus olim
Gonduginum fortes pia Sancti ſub iuga Chriſti
Duxiſtis populos, & caſto deuia Recto
Pectora ad egregium pulcri traxiſtis amorem.
Saluete, ô celſi queis nunc patet aurea cæli
Ianua, qui læto manantem nectare ſuccum
Purpureo Bibilis nunc ore: humilemque ſerenos
In terram vultus ab vertite, & illa probantem
Inclinate animum noſtri monumenta laboris.
Fortunata cohors! hoc vnum vos ego fuſis
Depoſcam lacrymis, hoc imi cordis anhelo
Inplorem gemitu, feruentibus inclyta votis
Turba faue: placuit SANDERI *ſi labor iſtis*
Ingenij Sculptus tabulis, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum veſtros hæc longum dicat honores
Pagina, ſollicitumque boni defendite vatem.
Scilicet infirma poſt tot diſcrimina vitæ
Vobiſcum patrijs vt ſedibus eſſe beatus,
Et pars vna queam ſtellata ibi noſcier aula.

ANTONIVS SANDERVS Canebat.

A

ANTO-

Digitized by Google

ANTONI SANDERI

PRESBYTERI S. T. L.

HAGIOLOGIVM

FLANDRIÆ.

S. AMANDVS.

Traſectenſis ad Moſam & poſt Argentoratentis ad Rhenū Epiſcopus, Gandauenſium Apoſtolus.

SERENI AQVITANORVM Ducis ex Amātia Matrona cum primo nobili filius fuit annos vix dum pubertatis ingreſſus, Monaſticæ Vitæ inſtitutum elegit. A quo animo cum pater eum multis verbis amouere magnopere laboraret, conſtanter in propoſito perſtans, hanc illi tandem grauiſſimam ſententiam retulit. Terrena non appeto tantū mihi permitte vt Chriſto militem. Multos igitur annos in illa viuendi ratione exercitatus, poſtea Turonis ſacris initiatus eſt: ac denide Biturigibus monaſterium rurſus ingreſſus, annis ibi quindecim corpuſculum mirâ abſtinentiâ macerauit. Tandem Religionis amore tactus Romam ſe contulit diuorumque Petri & Pauli Apoſtolorum lumina viſitauit; vbi à diuo Petro nocte admonetur vt in Galliam protinus prædicādi cauſſa euangelij remearet. Reuerſum Gallia obuiis vocis excepit, nec multo poſt Lotharij regis operâ Tungrorum Epiſcopus creatur, quam functionem quum 6. Feb.

n Agro namurcenſi, quod nunc eſt nobilium virginum Canonicarum XVII. & Canonicorum X. Tandem Apoſtolica virtute & ſpiritu plenus in Elnonenſi Monaſterio, quod hodie ab Auctore S. Amandi propriè dicitur, mortẽ obiit anno incarnati verbi ſexcenteſimo ſexageſimo primo, ætatis vero ſuæ nonageſimo. Cuius corpus etiam in capillis & omnibus ſui partibus ſic integrum & venuſtum poſt multos annos inuentum eſt, quaſi ſi non modo heri aut nudius tertius mortuus, verum etiam adhuc in viuis fuiſſet plura de illo lib. 4. Antiq. mearum Gand. item apud Haræum Molanum Meyerum, Gazeum in Hiſtoria Belgij Eccleſiaſtica Sigebertum in Chronico, Miræum in faſtis, qui teſtamentum eius quoque narrat, aliosque inuenies.

AMANTIVS DIACONVS.

Gandaui.

INter Comites B. Landoaldi, qui à Martino pontifice S. Amando in promouenda Religione adiutor datus eſt primus recenſetur diaconus eius, nomine & merito Amantius, eiuſdemque in baptiſmate filius. In Epiſcopatu Tungrenſi cum B. Landoaldo multum laborauit. Ex Wintershouen. Hasbaniæ vico Gandauum ad D. Bauonis anno 980. cum alijs quibuſdam Sanctorum Corporibus per Womarum Abbatem Gandauenſem tranſlatus eſt vide de eo plura apud Haræum 19. Martij in vita S. Landoaldi Confeſſoris per Nodgerum Epiſcopum Leodienſem ſcripta. *19. Mar*

B ALDE-

Digitized by Google

ALDEGVNDIS VIRGO.

Gandaui.

20. *Iun.* FIlia fuit S. Baſini Reguli ac Martyris, quæ temporibus S. Amandi Traiectenſis Epiſcopi circa annum 640. Deo ſeruiuit in Trunchinio iuxta Gandauum vbi cum patre quieuit in Canonicorum regularium Ordinis Præmonſtratenſis Abbatia per Iwanum à Gandauo Comitem Aloſtanum anno 1137 fundata. De eadem plura vide in vita S. Baſini patris eius 14. Iulij.

ADRIANVS INTERNVNTIVS.

Gandaui.

19. *Mar* CVm ſancto Landoaldo Roma in Belgium venit à Martino Papa primo rogatu D. Amandi miſſus. Martyrem eum in faſtis vocat Miræus. Sepultus fuit in Wintershouē & anno 980 ad D. Bauonis tranſlatus, vitā eius conſcripſit Nodgerus Leodienſis Epiſcopus. Vide plura apud Gazæum in Hiſtoria Belgij Eccleſiaſtica.

ADELHARDVS ABBAS.

Huyſſe pago Flandriæ.

2. *Ianu.* COrbeia duplex eſt vna Gallica ſeu Francica in diœceſi Ambianenſi, altera Germanica ſeu Saxonica in Diœceſi Padebornenſi, vtraque illuſtris Benedictinorum Monachorū Abbatia, hodieque florens. Francicam Bathildis regina Francorū eiuſque filius Lotharius Rex ad Somonam fluuium fundarunt. Saxonicam ad viſurgum fluuium anno 822. Ludouicus pius Imperator Caroli Magni

Digitized by Google

ıgni filius ſuadente S. Adelardo ędificare cæpit, vt Lam-
rtus Scafnaburgenſis tradit, aut anno proximè ſequenti
ex Adamo reru ſeptentrionaliū ſcriptore Baronius in
nalibus colligit. Fuit autē Adelardus primū Monachus,
ſt Abbas in corbeia Gallica, ex Caroli Magni Impe-
oris ſtirpe prognatus patria & patrimonium illi fuit
ia vulgo *Huyſſe* pagus primo lapide ab Aldenarda opido
ındriæ ſitus, idem & *berthenium* agri Louanienſis pa-
m in bonis poſſedit; vtriuſque loci etiamnum patro-
s eſt Abbas Corbienſis, teſte Gazæo. Vitam eius à Su-
editā vnus famliarium deſcripſit, quam plerique Pa-
ıaſio Ratberto, Sexto illius in Corbeia ſucceſſori attri-
unt. Ioannes tamen Molanus alterius cuiuſpiam eſſe
tat; ita Miræus in faſtis.

AMELBERGA VIRGO.

In Monte Blandinio iuxta Gandauum.

S Eliſiæ à S. Landrada piis moribus inſtitutam fuiſſe 10. *Iul.*
tradunt, diu vixit ac demum anno 772 obijt in ſui iu-
villa Tamiſia ſeu Temſeca ad Scaldim in diœceſi Gan-
nſi & agro Waſiano, vbi hodieque tumulus eius oſten-
ur. Corpus Virgineum Balduinus ferreus Flandriæ
omes anno 890 ad Blandinienſe monaſterium tranſtu-
Venit autem, inquit Molanus, conſilio S. Willibrordi
liſiam, vt iſtic à D. Landrada quæ monaſterio iſtic prę-
ıt, in pietate formaretur. Brachij eius os confregiſſe
tatur Carolus Martellus princeps, vt eam ſibi raperet
onſam quam etiam plane cepiſſet vxorem, niſi pudici-
virginalis de eo triumphans penitus obſtitiſſet. Mi-
uit ad Dominum anno 772 aut circiter. Scribit Maſ-
us ciues Gandauenſes (tantæ ipſis olim venerationi &

Digitized by Google

merito fuit) vna cum Wilhelmo Epiſcopo Tornacenſi diē feſtum ſibi inſtituiſſe anno 1331. in monte Blandinio autem frequentior eius fuit memoria, vnde in Martyrologio legitur. Sexto Kal. Nouembris in Blandinio Aduentus Corporis Sanctiſſimæ Virginis Chriſti Amelbergæ Decimo tertio Kal. Iunij in Blandinio tranſlatio Corporum Sanctorum, Gudwali Bertulfi cum reliquijs S. Virginis Amelbergæ. Kalendis Maij in Blandinio monaſterio tranſlatio Corporis Sanctiſſimæ virginis Amelbergæ. In picturis pedum vt Abbatiſſa, quandoque etiam palmam ceu virgo, geſtat. Sub pedibus piſcem habet, vulgo ſturionem dictum quem alij acipenſerē vocant. His enim piſcibus nauem comitantibus, fertur corpus eius diuino nutu, aduerſo flumine vectum eſſe. Vitam eius ſcripſit S. Radbodus vltrajectinus Epiſcopus numero XIV. ex regia Friſiorum ac Francorum ſtirpe, vir ſpiritu Prophetico clarus. Scripſit & eandē Theodoricus Abbas ad S. Trudonem Ord. S. Benedicti in diœceſi Leodienſi ex Monacho Blandinienſi, vti rectè notauit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgarum.

AMELIA.

Teneramundæ.

VIrgo Swiuekana iuxta Teneramundam ſpiritu Prophetico donata fuit, ait Harduynus in M.Sc. Sanctorum Flandriæ indiculo.

ATTA

Abbas Blandinienſis & Vedaſtinus.

ATTA Monachimum Gandaui in monte Blandinio cōplexus ad exemplum multorū ſanctiſſimorū patrum

Digitized by Google

rum amatorum profeſſionis monaſticæ vitam compo-
is,ſecutis inprimis veſtigia S. Amandi, primi eius do-
s conditoris, quum multos inſtituto æquales, commen-
ione pietatis, atque virtutibus anteiret, latè diffuſâ fa-
Theodorico notus, huc ab eo accerſitus, Abbas nouello
gi datus eſt, quem, inauguratus à B. Vindiciano, ita geſ-
vt non immerito percelebri Vedaſtinorum præſulum
ini, Dux quidam atque Anteſignanus creatur deſi-
tus. Ita de eo Chronicon Vedaſtinum fuit itaque Atta
nus Vedaſtini Cænobij, & Blandinienſis Abbas quar-
vitam eius ampliorem in Catalogo Blandinienſium
›atum inuenies.

S. ADRIANI

Memoria in Gerardi-monte Flandriæ opido

ERARDI-MONS Opidum eſt Flandriæ verſus Braban- 8. *Sep.*
tiam intra muros habet inſignem Benedictinorum
atiam anno 1095 à Manaſſe Epiſcopo Cameracenſi
co decliuio incohatam & anno proximè ſequenti in
um tranſlatam, petente Roberto Hieroſolymitano
driæ Comite. Ad hanc Abbatiam S. Adriani Martyris
uiæ ex Raulicuria Hannoniæ pago anno 1110 ab
ıldo ſunt tranſlatæ. Locus frequentibus claruit mira-
, tantoque hominum piè peregrinantiū concurſu vel
diernum vſque diem frequentatur, vt & Abbatia &
ım ipſum S. Adriani nomen quodammodo indue-
Reges ipſos huc aliquando aduentaſſe narrat in ſuis
uitatum Gerardi-montenſium commentarijs Ioannes
ibergius.

AGRICOLAVS

Epiſcopus Leodienſis, Flander.

De Agricolao narrat Gazæus in Hiſtoria Eccleſiaſtica Belgij eum fuiſſe vndecimum Leodicenſis Eccleſiæ Epiſcopum, poſt D. Seruatium, qui decimus eandem Cathedram tenuit; primus eodem auctore Trajecti ad Moſam reſedit circa annum 512. vbi & eum Eccleſiam S. Seruatij ędificaſſe, & poſt Hunnicam cladem reparaſſe, & in eadem ſepultum aſſerit. Fuit autem Agricolaus, ab eodem aliiſque ſcriptoribus ſancti titulo honoratus, cuiuſdã Flandriæ Saltuarij filius. Quem Tungrenſibus à S. Remigio Epiſcopum datum circa annum 498 etiam Miræus narrat in faſtis 1. Octobris, vbi de eodem Renenſi Archiepiſcopo Francorum Apoſtolo agit.

ANTONINVS TIMMERMANNVS

Dunkerckanus.

Dominicanus Dunkerckæ maritimo Flandriæ opido natus anno 1547 parentes fortunæ mediocris probos tamen & longè honeſtos habuit, quibus magna fuit proles rectè educandi ſollicitudo. Adoleſcens humanioribus litteris excultus melioris vitæ deſiderio ardens Antwerpiæ in B. Dominici Sodalitatem nomen dedit annos natus 21 in qua eos fecit progreſſus vt prædicandi munere cum laude perfunctus ſit, vtpote vir plane pius, eruditus, & Flandrici, Gallici atque Hiſpanici idiomatis æque peritus. Hęreſes quæ id temporis feruebant acriter, & magno atque aſſiduo concionandi ſtudio eſt inſectatus cumque Bellorum errorumque incendio arderet Antwerpia, Deo vt & Principi

miſeria

niſera ſeuitione rebellis, noſtrique exſilio damnati, ſuperiorem Germaniam variaque Belgij loca peragrarent: ille ...iorum quos à fide non dimouerat temporis iniuria ſalutem quærens, ſingulari zelo & induſtriâ Antwerpiæ hæſit, ...bi Catholicorum domos diligenter prout ferebat occaſio ...ircumibat, omnemque nauabat operam, vt qui in illa tũ ...abylone fideles ſupererant in plenis errorum vorticibus ...aufragium non facerent, ſed in ſalutis portum ſeruaren...ur. Quod dum ſedulo exequitur, in dieſque plures ac plu...es Catholici ei in notitiam veniunt, eorum catalogum ...onſcribit, plateas domoſque in ſchedula notat, quo faci...us ſecuriuſque ſingulos adire & ad fidei conſtantiam hor...ri poſſet. Inter hos ab eo conſcribitur Ioannes quidam ...auregnij, qui poſtea priuato quo æſtuabat zelo, Guliel...um Naſſouium Auranæ & perduellum principẽ adortus ...t, eique necem inferre conatus. Interim vt ſunt aſtuti & ...ſpiciorum pleni filij tenebrarum. Ioannem P. Antonino ...gnitum eique confeſſum fuiſſe, proinde principis mortẽ ...ſi communicato prius cum P. Antonino conſilio non ...entaſſe, in vulgus ſparſerunt Caluiniſtæ & ad Principem ...rtulerũt. Quidã Antonino ſcedam illam excidiſſe ferunt ...q; cognitum Ioannẽ iſtum eſſe ex P. Antonini notis. Porro ...huius prætenſi criminis obiectionẽ comprænenditur, & ...vincula conjectus rogatur, cuius fidei eſſet reſpondit, prout notum erat Catholicum eſſe & Dominicanum ...idem ac ſacerdotem. Rurſuſque an Ioannis Tauregnij ...titiam haberet, eiuſque confeſſionem excepiſſet, quod ...mpte affirmauit. Inſtant Caluiniſtæ num in confeſſio... cõſilium occidendi Principis aperuiſſet, aut quid dixiſ... ille ſe nihil eorum, quæ ex confeſſione audiſſet, reuela...poſſe, conſtanter reſpondit, quod reſponſum impia illa ...monis mancipia pro ſuo more irridere cæperunt, & poſt

infamia

infamia atq; horrenda in Religionẽ cõuita ſe omnino velle ſcire quid Ioannes in confeſſione dixiſſet, aiunt, equuleos alioquin mortemque minantur. Antoninus vero per Chriſti gratiam, fidei & propoſiti tenax, mortẽ ſe tanto piaculo anteferre retulit; Quocirca rabiẽ acuunt illi, & tormentis conſtantiam ſanctæque religionis cultum expugnare conantur. Antoninum pollicibus fune cõſtrictis in altum ſuſpendunt, maximiſque ponderibus vtrique pedi alligatis, toto corpore diſtendunt, fuſtibus cædunt, eoque in cruciatum diu verſari patiuntur. Is vero Dei opẽ ardenter implorans frequẽtius illud Dauidis orabat. Cuſtodi Domine labia mea vt non delinquam in lingua mea, & aſpirante Martyrum fortitudini Chriſto vicit equuleos, & quam minabantur mortem cũ deſiderio exſpectauit. Hæretici furiis acti, vtrũque, vt aiebant, crimen ſuperſtitionis videlicet papiſticæ & conſpirationis in Naſſouij exitum, inſigni ſupplicio vindicare decernunt. Ergo fame languidus, carceris ſitu ſqualidus, tormentorum acerbitate fractus, ſolo animo ac fide integer victuque hilaris Antoninus, in publicum forum pertrahitur pleno theatro fidem catholicam profitetur, eiuſque cauſa ſe libentiſſime mortem obire pronunciat, ſicque ſibi ſemper præſentiſſimus, & cæleſti auxilio confirmatus parata tormenta conſtanter ſubiit atque fune primũ ſtrangulatus, dein in quatuor partes ferro ſectus, Deo ſe hoſtiam exhibuit, Angelis lætitiam peperit, Catholicis lacrymas excuſſit, hæreticis & admirationi fuit & terrori: nunc vero æterna fruitur vitæ melioris felicitate, obiit anno 1582 ætatis ſuę 66. vidi ego manibuſque attrectaui &, nunc quoque ab omnibus conſpici poteſt in clauſtro Cænobij Antuerpienſis, ſacrũ venerabilis Antonini caput, diu quidem alto ſtipiti ad infamiam ab hæreticis infixum: Sed cui nec circumuolitantes Corui oculos emeunt, nec ſolis ardor, pluuiæ

Digitized by Google

niæ, venti, grandines vllaue cœli inclementia pellem raxerit, nec vermes cerebrum exederint, ſed quod carpelle, cerebro, oculiſque exſiccatis duntaxat ſæpius cirndederit nocturna lux, inſedeuntque innocentiæ es columbæ; vt mihi qui viderunt plures teſtati ſunt. ctenus P. Hyacinthus Choquetius in vitis Sanctorum gij ex Ordine Prædicatorum.

AMATVS

Epiſcopus Senonenſis Duaci.

AMATVS Theodorici Regis Galliæ iuſſu ſede ſua pulſus, & in Broilenſi monaſterio à B. Mauronto ad Li- 13. *Sept.* fluuium in Flandria conſtructo exceptus obiit anno centeſimo nonageſimo; ob Normannorum vero excures tranſlatus eſt Duacũ vna cum Broilenſi monaſterio, od hodie Canonicorum S. Amati eſt Collegium, quod- permiſſu Ioannis Epiſcopi Cameracenſis, Caroli Franum Regis & Balduini Ferrei flandriæ Comitis anno . ibi ſedem fixit. Hiſtoria vitæ exſtat ibidem in veteri ice argenteis laminis exornato circa annum 1040. ſcri-, à Clerico vt apparet, Amatenſi, nomen ſuum pro mocia eius æui ſubticente. Vide Iacobi Taurelli hiſtoriam chiepiſcoporum Senonenſium anno 1508. ibidem edi- & Coluenerij notas ad cap. 22 li. 1. Chronici Camerais. Ita Miræus. Fuit autem apud Theodoricum Regem uſatus de Infidelitate, ac causâ non diſcuſsâ in exilium egatus. Quamobrem exulauit Peronæ vſque ad mori Vltani Abbatis, deinde B. Mauronto commendatus matici vixit, vbi ſepeliuit SS. Abbatiſſas Gertrudem uſebiam, poſt requiſitus à S. Rictrude & filio ejus iam to Mauronto regimen monaſterij Broilenſis ſuſcepit.

C Eo

Eo itaque in loco, inquit Molanus monaſticam congregationem gubernauit, & populo alimenta cœleſtis prædicationis miniſtrauit ad annum vſque obitus ſui. Eius corpus, ſed & ferri pondus, quod ad collum geſtauerat, multis miraculis claruerunt. Quibus auditis Theodoricus Rex ad ſepulchrum veniam perpetrati in eum facinoris flagitauit, & multas poſſeſſiones ad alimoniam ſeruorum Dei eidem contulit Maurontus vero ad honorem eiuſdem Præſulis, ſui etiam patrimonij multa prædia, per chartarū inſtrumenta aſſignauit. Preterea haud longè à B. Petri Eccleſia, aliam Deiparæ ſtruxit Eccleſiam, ad quam diuinitus monitus cum ſancto Baino Morinorum Epiſcopo B. Amati reliquias tranſtulit. Poſtea à clero Meruillano primùm Sueſſiones inde Duacum eſt tranſlatus, vt ante dixi, in ſui iuris Eccleſiam. Eleuatio per S. Bainum facta & tranſlatio recoluntur quarto Kal. Maij & decimo quarto Kal. Nouembris Archiepiſcopum quoque Senonenſem fuiſſe liquet ex ſubſcriptionibus Concilij Aurelianenſis tertij, vbi Leo Senonenſis ſubſcribit Tom. 2. Conciliorum. Ita in natalibus Molani hâc die annotatum.

ÆGYDIVS

à S. Audomaro Gandenſis Dominicanus.

Kalend. Auguſt. VIrum pluribus virtutibus excellentem Gandenſis monaſterij Sanctis adſcribunt rerum Dominicanæ Religionis ſcriptores. Leander Albertus lib. 5. de viris Illuſtrib. Ord. Prędicat. fol. 1?6. Thomas Cantipratanus l. 2. Apum c. 1. parte 14. Michael Pius primâ parte ſuæ hiſtoriæ fol. 109. qui tamen pauca admodum de Sancto illo viro cōmemorant; adeo vt totius vitæ eius feriē nobis inuiderit antiquitas: omni tamē virtutum exercitio excultam fuiſſe

& ad

Digitized by Google

& ad ſanctæ Religionis amuſſim compoſitam, teſtantur nobis relicta monimenta quæ his verbis ſcripſit Cantipratanus ſe B. Ægydium vidiſſe affirmans. Vidi & alium eiuſdem Ordinis optimum virum in Gandauo Ægydium nomine, qui Canonicus apud ſanctum Audomarum in Flandria ſæculum dereliquit, & Prædicatorum Ordinem intrans tantum deditus lachrymis, tantũ ſpirituali lętitiâ & animarum zelo efferbuiſſe probatur, vt verè ſanctus crederetur, & eſſet, & hoc exitus eius monſtrauit; nã cùm frater ſuus carnalis ſepeliretur in clauſtro fratrum, marmorq; ſuperpoſitum malè iacens deberet corrigi: Sinite, inquit, fratres ſinite diu non iacebit immotum, manifeſtè prædicens ſe cum fratre defuncto ſub eodem marmore ſub proximo deponendum; quod & factũ eſt, ſed & fratre quodam narrante mihi, qui ante ipſum reſedit die proximâ moriturum, didici quod quęrenti ſibi quomodo ſe ſe ſentiret: Reſpondit dicens, bene frater cariſſime, bene me ſentio, quia tribus diebus tantum in purgatorio hinc exiens expurgabor, & ſtatim poſteà per Dei miſericordiam, ad gloriam euolabo. Pretioſam illam venerabilis Ægydij mortem, quæ vita præceſſerit, quæ corona ac gloria exceperit, ſuſpicari quiſque poteſt, nos ſingula admiramur, & Deo totius gratiæ fonti gratias referimus. Ita Hyacinthus Choquetius in vitis; eius memoriam Kal. Auguſti Miræus in faſtis recolit.

ADELINVS

Confeſſor.

FVit ſancti Landelini in pia ad Vrbem peregrinatione & verbi Dei prędicatione ſocius, cum quo & quieuit Cruſpinij, inter montes Hannonię & Valentianas De 17. *Iun.*

Landelino autem qui fuit quatuor Monaſteriorum videlicet Laubienſis, Alnenſis, Criſpinienſis & Wallerenſis fundator. Plura vide apud Miræum in faſtis ad diem 15. Iunij Molanum in Natalibus, & Surium Tomo tertio ad eandem diem.

AIBERTVS

Recluſus.

2. *Maij.* IS in territorij Tornacenſis pago, quem Eſpeen vocant, originem duxit, & adhuc puer varia de ſe futuræ ſanctitatis iudicia præbuit, clam noctibus ad preces ſurgens, terram exoſculans frequenter Eccleſiarū limina terens, ieiunia ſibi indicens parum tamen deguſtans, vt interrogatus verè diceret ſe comediſſe. Iuuenis audiens cantionem de conuerſione S. Theobaldi, neque carne, neque ſanguine, neque lineis pannis vti deinceps ſtatuit, ſed charitatis fœdere vngitur, magnæ ſanctitatis & abſtinentiæ Ioanni Criſpinienſi Monacho, qui permiſſu Raineri ſui Abbatis deſertum incolebat locum, vbi vterque adeo ieiuniis, vigiliis, precibus, & frigore macerabantur vt humanam ſpeciē propemodum non referrent. Rainerus autem Abbas ob monaſterij libertatem Apoſtolorum limina viſitans, hos Comites aſſumpſit. Qui Romam venerunt nudis pedibus veſtiti cilicio, parum pecuniæ habentes, ipsâ inopiâ locupletes. Cumq; Vrbanus Beneuenti eſſet, vterque Raineri reditum, eo quod viribus deficerent in Vallis Vmbroſæ Monaſterio, vbi canon S. Benedicti ſtrictè obſeruabatur præſtolati ſunt. Reuerſus autem Aibertus ad ſuam eremum non multo poſt per viſionē monitus, factus eſt Monachus Criſpinienſis, deinde Præpoſitus & Cellarius. Tandē autē à Lamberto Abbate opta-

tam in

tam in eremo obtinuit cellulam, manens interim ſub poteſtate Abbatis; in qua vig nti quinq; annis cũ incredibili abſtinentia permanſit incluſus. Cum autẽ acolythus eſſet, de Sapientium conſilio a Burchardo Cameracenſi Epiſcopo ad ſacerdotium promotus eſt, vt populis ad ipſum venientibus melius poſſet conſulere, & familiarius ſecretas confeſſiones recipere. Factus autem Presbiter duas in die celebrabat Miſſas, pro viuis vnam, pro defunctis alteram, pecuniam accipere haud aliter atque ſerpentinum virus abhorrebat, Mandato Paſchalis Papę per Odunium Abbatem S. Gilleni, & Innocenti Papæ confeſſiones ad ſe venientium alacriter audiuit. Venerunt autem non ſolum illiterati & vulgares, ſed Archidiaconi, Abbates, omnis generis Religioſi & docti, nobiles vtriuſq; ſexus. Tantaque plerumq; hominum multitudo, vt videretur veluti vrbs ab hoſtibus obſeſſa. Plerique qui propius recedebant, eo renitente, veſtem eius lacerabant, & partes auulſas pro reliquijs aſportabant. Quantos ille Manipulos ſecũ ad Christi tribunal feret. Inter quod erit ioculator ille, cuius olim cantilena ad arctam viam inflammatus fuit. Peractis itaque annis plus minus quinquaginta in Monachi habitu obdormiuit in Domino, ipſo ſacratiſſimo die Paſchæ ad ſeptimum Idus Aprilis, paulo ante ab Engelberto Priore ſacro Oleo vnctus & diuinâ Communione munitus, die tertio ſepultus ab Abbatibus, Criſpinij & S. Amandi, eodẽ loco, vbi cellula fuerat, vbi eius meritis & precibus, ęgris piè poſtulantibus multa præſtantur beneficia. Criſpinienſes autem etſi in Aprili notatum habeant *Obijt dominus Vibertus incluſus*, inuocant tamen eum in Litaniis ſuis, & auctoritate Epiſcopi Cameracenſis qui Oratorium in quo requieſcit Kal. Maij dedicauit, feſtumq; eius poſtridie Criſpinio venientes annuè ibi celebrant.

C 3 ALANVS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ALANVS INSVLENSIS.

14. Octo. NAtus eſt Inſulis Flandriæ emporio, & in Clara-Valle ſub S. Bernardo Abbate Monachum induit. Poſteà primus Ripatorij Abbas fuit, ac demum Antiſſiodorenſis Epiſcopus. Religioſæ quietis amans, poſt annos 13. Epiſcopatu ſe abdicauit, & reliquum vitæ in Clara-Valle piiſſimè tranſegit, vbi & obiit anno 1181. pridie Idus Octobris.

AICHARIVS

Epiſcopus Tornacenſis.

27. No. SAnctè & laudabiliter præfuit Eccleſiæ Tornacenſi & Nouiomenſi, ante S. Eligium, Lectiones feſti quod Nouiomi duplex habet, ſunt de Homilia S Maximi. Ad ſancti & beati Patris noſtri Aicharij laudes addidiſſe aliquid, decerpſiſſe eſt. Aicharius magnâ apud Dagobertum regem auctoritate valuit. Ipſo namque apud Regem agente S. Audomarus ad inſtituendum & gubernandum Terrouanenſis opidi populum, Epiſcopi ſedem & dignitatem ſuſcepit: vt Folcardus Bertinenſis in S. Audomari vita apud Surium loquitur. Eodem agente & licentiam dante S. Amandus doctrinam Euangelicam Gandaui prædicauit. Obiit autem S Aicharius anno 646. aut 647. Plura de Apoſtolico Præſule vide apud Ioannem Cognatum in hiſtoria Tornacenſi.

ARNVLPHVS

Epiſcopus Sueſſionenſis.

15. Aug. ALdenburgum vt in archiuis Aldenardenſis latinis vetuſtioribus ſcribitur, ſiue Audenburgum Flandriæ opidum

pidum tertio milliari ab Oſtenda, antiquitatem ipſo no-
ine præfert, olim primariæ notæ opidum in Flandria
ſtitiſſe, & à Balduino Caluo Comite Burgum Brugenſe
no 865. lapidibus cinctum fuiſſe ex Aldenburgi rude-
bus; Hunnicæ ſub Attila ſæuitiæ teſtibus pro comperto
betur. Abbatiam hic Monachorum Benedictinorum
nno 1084. S. Arnulphus Epiſcopus Sueſſionenſis in Gal-
inſtituit, Roberto Friſio Comite & Radbodo Tornacen-
Epiſcopo approbantibus. Obiit ibid. anno 1087. multis
arus miraculis, quibus motus Lambertus ibidem Epi-
opus cum licentia Cononis Legati apoſtolici & auctori-
e Concilij Bellouacenſis, quod miracula examinauerat,
rpus ſacrum anno 1121. è terra leuauit iuxta morem
cleſiæ Gallicanæ. Vitam eius fusè ſcripſit Liſiardus ter-
s in Epiſcopatu ſucceſſor à Surio editus. Matrem ha-
it Arnulphus è nobili proſapia Comitum Louanienſiū,
trem verò Fulbertum Flandrum habitantem iuxta
ldin in villa Tidinghem: Mater grauida per viſionem
licit ſe puerum geſtare, qui verbis & factis Chriſtum
ret, ideoque Chriſtophorus erat vocandus, cæterum
ceptor Arnulphus Aldenardenſis, voluit à ſe puerum
nulphum dici. Mater autem memor diuinæ ſponſionis
erulum à patrino nuncupatum Arnulphum vtroque
nine appellauit, Arnulphum videlicet Chriſtopho-
n. Arnoldus Wion lib. 2. lig. vitæ cap. 53. eum patriâ
ſe Aldenardenſem, & ab eo ſupereſſe nobilem fami-
n Pamelenſium aſſerit. Plura apud Molanum in natali-
vide. Corpus etiamnum Brugis adſeruari à Iudoci
nhouderi Regij Conſiliarij filia per has turbas ſollicitè
toditum, nuper Aubertus Miræus nobis indicauit.

ACHAS

ACHAS

Puer Toroltanus.

11. *Iun.* TOrolti in Flandria ſanctiſſimè vixit, & anno 1220. obiit, tantum ſeptennis. Ita de illo Cantipratanus lib. 2. Apum cap. 28. puer ACHAS honeſtis parentibus natus in Thorout Flandriæ opido quinquennis viſis Minoribus à parentibus multis lachrymis obtinuit eorum habitum, pecuniam exhorruit, & ad reliquas ordinis conſuetudines animum adiecit; vnde cognouerunt habitum ab eo non fuiſſe pueriliter expetitum. In plateis pueros, ſi diſortis eſſent moribus, arguebat, & pœnas inferni proponebat, bonis verò gloriam inculcabat. Interdum docebat eos Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, adeò vt ſenes quoque eius prudentiâ delectarentur. patrem ſæpè arguebat per verba, quæ à Presbytero in ſacra concione audierat; matri cùm in ſolemnitate rubris veſtibus templum intraſſet, imaginem Crucifixi oſtendit, & dixit: Intuere mater, & vide Ieſum Chriſtum nudum in cruce pendentem, ſanguine rubricatum, & tu te in contumeliam eius veſtibus ſcarleucis adornaſti, cui illa acquieuit. Cumque ſumma eius eſſet morum dignitas, orationis ſedulitas nondùm ſeptennem ætatem implens, raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius. Adpropinquans autem morti confeſſus, Sacramentum Corporis Chriſti poſtulauit. Quòd cùm propter generalis concilij vetitum in tali ætate negaretur: manibus in cœlum extenſis dixit: Tu noſti Domine Ieſu Chriſte, quòd meum ſummum deſiderium eſt, te habere. petiui te, feci, quod debui, & ſpero, quòd tui præſentia non fruſtrabor. Ad ſepulcrum eius fratres nullo conatu, nullâ reiteratione, pſalmum; De profundis, vel finire, vel dicere potuerunt,

vt

t inde intelligeretur ſuffragiis orationum ſanctam aniam non indigere, credo, inquit Thomas, quòd & idem ihi ad ſepulchrum illius contigerit oranti. Parentes verò oſt mortem prolis, ſæculum deſeruerunt, & pater Ordiem Prædicatorum eſt ingreſſus, mater verò Ciſtercienum. Hactenus Cantipratanus.

ARNVLPHVS MAIORICENSIS.

HAbitu Ciſtercienſi indutus eſt à Bernardo in Monaſterio Claræ-vallis, in Flandria verò natus) inſigni floit ſanctitate. Vide in D. Bernardo de eodem plura. Meinit & eiuſdem Molanus in natalibus vigeſimâ die Auſti vbi de beneficiis à Diuo Bernardo in Belgio præſtitis it. Sed & in Flandria cùm prædicaret, inquit Gaufridus aræ-Vallenſis libro 4. cap. 3. vitæ, multi nobiles, multi pientes, & litterati viri ſub ipſius magiſterio ſacram proſi ſunt ſeruitutem. Inter quos primus videbatur GAVIDVS ille de Perona, qui poſteà in Clara Valle Prioris icio functus eſt, & defunctus in eo, celebris eſt enim emoria inter initia Ordinis Ciſtercienſis viri illuſtris Arlphi de Majorca, quem Bernardus è Flandria, de ſæculi ctibus ad littus conuerſionis Claræ-Vallem adtraxit. *Vide Meyerũ.*

ANSCHARIVS CVM DISCIPVLO

Bremenſis & Hamburgenſis Epiſcopus.

Vit is Danorum, Suecorum & aliorum populorum Septentrionalium Apoſtolus. Inſtruxit idem Friſios *3. Febr.* Flandros, & nominatim in Flandria poſſedit Monaſten Thoroltanum (quod nunc Canonicorum S. Petri

D Colle-

Collegium eſt) quod Ludouicus Pius Imp. viro Apoſtolico inopia laboranti in vitæ ſubſidium adtribuerat. Eodem in loco puerum inuenit & educandum curauit S. Rembertum ſuum in Epiſcopatu & Apoſtolatu ſucceſſorem. Sedit Anſcharius in Epiſcopatu annis triginta quatuor. Primis annis ſeptem Hamburgi, dein poſt barbaricam Hamburgi incurſionem, annis nouem in Ramſola: reliquis verò annis Bremæ, vbi in matrice Eccleſia S. Petri ſepultus eſt: in quam S. Willehadum tranſtulerat. Ab Haraldo autem Danorum Rege & Ludouico Auguſto miſſus eſt ad Aquilonares illos. Plura vide apud Molanum.

ADELTRVDIS GANDAVI.

19. *Mar.* A Martino Primo Pontifice Maximo, vt alibi quoque annotamus, B. Amando, cùm Romam veniens Pontifici declaraſſet ſe non ſufficere ad copioſiſſimam meſſem in Chriſti horreum conferendam, adiunctus eſt B. Landoaldus, venêre porrò cum Landoaldo alij decem eiuſdem animi ſodales, quos inter fuêre ſanctus Amantius Diaconus, ſanctus Adrianus martyr & internuntius Landoaldi S. Vinciana virgo, Landoaldi ſoror, & S. ADELTRVDIS itidem virgo. Horum omnium Sanctorum corpora ex Wintershouia ditionis Leodicenſis vico Gandauum anno 980. ad ſancti Bauonis Monaſterium tranſtulit Vuomarus Abbas. Cæterum geſta ſancti Landoaldi & ſociorum eius deſcripsêre Notgerus Epiſcopus Leodicenſis & Herigerus Abbas Laubienſis.

ADILIA.

25. *Maij* OCtauo Kal. Iunij ADILIAE ſororis ſancti Bauonis. Hæc verba obſeruauit Molanus in Bibliotheca Ba-

noniana

mana dum antiqua iſtic inſpiceret Miſſalia, vt in nata-
us ad hunc diem fatetur. Quibus etiam lectis non dubi-
uit quin B. Bauonis Eccleſia olim ſanctæ Adiliæ memo-
im in diuino officio celebrauerit. Cæterum quo loco
ieſcat, & quæ eius fuerit vita nuſquam reperire potuit.
ſi ſit eadem cum Adilia Orpienſi in Namurcenſi Dioe-
ſi, quod ad diem trigeſimum Iunij idem auctor non o-
nino improbare videtur. Eſt in Alſatia in Apice montis
leberrimum Hohenburgenſe Monaſterium ſanctæ Odi-
e ſacrum.

ÆGYDIVS AMICVS GANDAVI.

MOnachus fuit Bodelonenſis Ordinis Ciſtercienſis, ab Harduyno ſanctitatis nomine commendatur, in ſc. Diuorum Flandriæ indiculo.

ANSBERTVS ROTOMAGENSIS

in Normannia Epiſcopus in Blandinio.

Vcceſſit S. Audoeno in Epiſcopatu Rotomagenſi, & à *9. Febr.*
Pipino Principe in exilium pulſus, demum in Al-
Monte Benedictinorum Abbatia ad Sabim fluuium
ud Hannones ſita anno 695 viuere deſiit. Poſt mortem,
iuſſerat relatus eſt Fontanellam, quod eſt monaſterium
œceſis Rotomagenſis ad Sequanam fluuium; cuius loci
bas fuerat ante Epiſcopatum. Vnde poſtea cum corpo-
us ſanctorum Wandregiſili & Vulframni ob perſecu-
nem Normannicam, primò Boloniam ad mare, dein-
Gandauum ad montem Blandiniū anno 944. eſt deue-
um. Vitam eius ſcripſit Angradus Monachus Fonta-

 nellen-

Digitized by Google

nellenſis ad Hilbertum Abbatem ſuum proximum Anſberti in Fontanella ſucceſſorem. Exſtat apud Surium, ſed omiſsâ præfatione, vt aliæ multæ Sanctorum hiſtoriæ. Ita Miræus. Ansbertum Fontanellam Halidulphus Abbas alti montis ſummo honore, inquit Molanus, linteis ceratis obuolutum, & ſic veſtitum, ſicut ſanctis altaribus aſſiſtere debuerat, detulit anno 695. In Blandinio frequens eius eſt memoria. Nam præter natalem annuè leguntur ſequentia. Secundo Kal. Aprilis eleuatio & tranſlatio ſanctorum Wandregiſili Abbatis, & Ansberti, atque Vulframni Archipræſulum. Tertio nonas Septembris in monte Blandinio Gandaui territorij aduentus ſanctorum corporum, Wandregiſili Abbatis, Ansberti & Vulframni Archipræſulum. Decimo octauo Kal. Octobris, tranſlatio corporis ſancti Ansberti Rotomagenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi. Cæterum dum ſancti viri corpus multis miraculis Fontanellæ clareret. Pipinus (quod geſta Fontanellenſium Abbatum teſtantur) in peccati ſui expiationem Floriacum monaſterium in pago Veliocaſſino conſtruxit, ipſumque Fontanellenſi cænobio tradidit. Vide vitam ampliorem apud Haræum hoc die, qui ex Angrado refert eum Angradiſinæ Rotberti, qui gerulus erat annuli Regis Clotarij, filiæ iuſſu patris ſui Siwini connubio iunctum fuiſſe. At cum vterque in propoſito ſeruandæ caſtitatis permanerent, hunc Monachum illam monialem factam.

ADALBALDVS MARCHIANENSIS.

2. *Febr.* IN territorio Perragorico paſſio ſancti ADALBALDI Ducis Duacenſis, qui coniugem habuit ſanctã Rictrudem. Hic cùm ex pago Auſtrebatenſi, vbi multis locupletabatur diuitiis, in Guaſconiam iter arriperet, & à malignis homi-

nominibus & vt fertur ab iis, quibus ſanctum diſplicuerat matrimonium eſt interemptus, ſed fœlicem eius animam viuere teſtantur, inquit Hucbaldus, ſigna, quæ ob ipſius declaranda merita, ad eius mortua frequenter oſtenduntur oſſa. Additur in Catalogo Sanctorum Hanoniæ apud Petragorium caput haberi, licet corpus ad ſanctum Amandum in terra ſit, feſtumque eius ſolemniter in Aquitania fieri, quod inde certius cognoſci velim. Recentiores paſſim notant quarto nonas Februarij, è quibus obitum eius notaui ad hunc diem. Frater eius fuit Arkenbaldus, tertius frater Sigifridus, qui duxit ſanctam Bertam, de qua Iulij quartâ, Molanus & alij agunt.

BASINVS

Rex & Martyr Gandaui.

TRuncinij primo lapide à Gandauo Baſilicam Deiparæ conſtruxit, quam S. Amandus Trajecti ad Moſam Epiſcopus & Gandauenſium Apoſtolus Monaſterio clericorum decorauit. Locum à Normannis vaſtatum Balduinus Caluus Flandriæ Comes 883. anno inſtaurauit, ſed clericis qui regularem vitam abiecerant anno 1137. Canonici Regulares Ordinis Præmonſtratenſis ſucceſſerunt, Iuano Comite Aloſtano procurante. Vitam Baſini è manuſcripto Truncinienſi codice excerptam his coniunximus. 14

Paſſio S. Baſini Regis & Martyris.

BEatus Baſinus Rex ac Martyr Chriſti ex regia ſtirpe & à Chriſtianis parentibus eſt ortus, & ex ſacro fonte 14. *Iul.*

baptiſmatis renatus eſt, & Baſinus nominatus. A cunabulis ſeipſum protulit ſocium chriſticolarum, & ſancta religione indutus, toto deſiderio cordis & corporis ac mentis ſtudebat Chriſto ſeruire. Iuſtus erat in omnibus viis Domini, & largus in eleemoſynis. Poſt mortem patris ſui & matris cum regnaret, ædificauit vrbem quam appellauit Baſetem ex nomine ſuo. Deinde accepit vxorem, & ex ea genuit filiam, quam ſacro fonte renatam vocauit Aldegundem, & apertis oculis nō vidit. Quadam die inſpirante Domino, ſurrexit venari: & ecce quidam ceruus mirè magnitudinis & pulchritudinis apparuit ei, quem ſecutus eſt cum militibus ſuis, & venatoribus ac canibus. Per prouidentiam verò Dei fatigati omnes receſſerunt ab eo præter duos milites cum quibus ſecutus eſt eum per tres dies & tres noctes. In tertia autem die poſt occaſum ſolis venerunt ſimul in loco ſpecioſo ac ſpatioſo in longitudine & latitudine, contra meridiem huius aquam currentem, quę Leia vocata eſt, & ex altera parte in aquilone habens magnam ſyluam in qua euanuit ceruus ab oculis eorum. Qui valdè triſtes præ laſſitudine corporum in eodem loco nocte quieuerunt. Media autem nocte euigilans B. Baſinus & aperiens oculos vidit coelum apertum ſuper locum illū; & facta eſt vox ad eum, dicens: Baſine iſte locus, in quo quieſcis, ſanctus eſt, & per prouidentiam Dei huc ductus es per Angelum ſuum in ſimilitudine cerui, vt tibi oſtenderet ſanctitatem iſtius loci, & vt conſtrueres tres Eccleſias, primam in honorem beatæ Matris Domini iuxta decurſum Leiæ, quam vocabis ad altum Monaſterium ſanctę Mariæ. Secundam parum in Oriente iuxta decurſum Leię in honorem Præcurſoris Domini. Tertiam in aquilone iuxta eandem Eccleſiam in honorē Beati Petri Apoſtoli. Surrexit ergo ſanctus Baſinus & milites eius primo mane

& recto

& recto itinere cum gaudio & exultatione venerunt ad vrbem ſuam Baſetes, & congregant operarios electos qui ſcirent operari cum lapidibus, & carpere ligna, & duxit ſecum ad ſupradictum locum, & fecit eos conſtruere Eccleſiam in honore beatæ Matris Domini, quam angelico præcepto nominauit ad altum Monaſterium ſanctæ Mariæ. Poſteà fecit alias duas conſtruere. Cùm autem perfectæ eſſent, duxit Epiſcopos vt dedicarent eas. In illis diebus in quibus dedicatio fuit, viſum eſt coelum apertum ab omnibus qui aderant, ſuper Eccleſias, & oleum ſtillare ſuper altaria, & ſi quis infirmus fuit linitus oleo ſanus fiebat à quacunque infirmitate tenebatur. Fuit gaudium & exultatio his qui aderant & audierant hæc ſigna. Audientes populi, venerunt de omni parte terræ, tam ſani quàm infirmi, videre miracula quæ fiebant eodem loco. Tunc ſanctus Baſinus conſilio Epiſcoporum conſtituit Clericos in Eccleſiis qui ſeruirent Deo die ac nocte. Hæc in Chriſto peracta rediit vnuſquiſque in locum ſuum cum gaudio laudans & benedicens Dominum. Poſt anni itaque circulum cùm appropinquaret natiuitas ſancti Ioannis Baptiſtæ, protexit ſanctus Baſinus cum multitudine populorum ad prædictum locum. Tunc acceſſit filia eius ad eum, & rogauit eum, vt eam ſecum pergere permitteret ad feſtiuitatem. At ille reſpondens, ait ei dicens: Non potes venire mecum niſi ſuper indomitum equum meum qui currit cum iumentis meis in campo. At illa gauiſa ſperans in Domino, iuſſit paſtorem equorum ad ſe venire, & rogauit eum vt caperet ſibi illum indomitum equum qui currebat cum iumentis pecoris ſui. Tunc ille dixit ad eam, quod eſſet tam durus & aſper, quòd dentibus ſuis morderet homines quos reperiret. At illa cum lachrymis dixit: O vtinam vellet me mordere, quia tædet me viuere in hoc

ſæculo, quia neſcio ad quid vtilis ſum, quia cæca ſum à natiuitate mea, & lumen non video, ſed in tenebris ſedeo. Tunc ille paſtor miſertus ei, duxit homines & illam cum eo in campo, vbi iumenta paſcebantur. Tunc venit ille equus ad eam tam mitis & ſuauis vt ouis, & illa poſuit frenum in os eius, & ſedens ſuper eum, ſumens ſecum milites, ſecuta eſt patrem ſuum ad locum qui modo Truncinius dicitur, & venit ad Eccleſiam ſancti Ioannis, & ante oſtium ſtetit. Eleuans autem oculos ſuos & manus ad cœlum, orauit ad Dominum. Illâ orante ſtillauit oleũ ſuper oculos eius, & viſum recepit. Eâdem horâ venit pater eius ad oſtium, & interrogauit ſi dies eſſet? At illa reſpondit ei: Domine dieſcit. Et ille cognoſcens vocem eius, admirans dixit: Quæ es? At illa reſpondit: Ego ſum filia tua Aldegundis. At ille interrogauit eam, dicens: Quomodo huc veniſti? At illa reſpondit: Domine ſicut mihi præcepiſti. Et ille: Quomodo ſcis quòd dieſcit? At illa: Domine video cœlum & ſtellas, & lunam, & terram, & te patrem meum quem numquam vidi. Tunc ille: Vbi accepiſti lumen? At illa reſpondit: In iſto loco vbi ſto. Tunc ille gauiſus iuſſit illam intrare Eccleſiam, vt ambo agerent gratias Deo. Poſteà duxit eam ad Eccleſiam ſancti Petri Apoſtoli, quæ illi proxima fuit. Cùm autem ſancta Aldegundis venit ad oſtium Eccleſiæ, vt intraret, iterum cæca facta eſt, & Eccleſia dedit magnum ſonum, & ſciſſus eſt paries à ſummo vſque ad terram. Tunc ſancta Aldegundis clamauit voce magna, dicens: Domine mi pater adiuua me, quia non video. Tunc ſanctus Baſinus flexis genibus orauit ad Dominum vt dimitteret illam intrare, & poſt eam omnes mulieres, & vt daret ei lumen ſuum, eo tenore vt amplius ibi maneret in ſeruitio Dei & ſancti Petri, & vt daret in Eccleſia eius quidquid ad eam

pert

Digitized by Google

pertineret de hæreditate ſua. Et ſurgens ab oratione ſua confidens in Domino, tenenſque manum eius introduxit illam. Cùm autem intraret lumen recepit gaudens. Tunc omnes populi qui aderant in iubilo vocis benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus es Domine Deus Iſrael, qui facis mirabilia magna ſolus Et benedictũ nomen Maieſtatis eius in ęternum fiat, fiat. Tunc obtulit ſeipſam ſuper altare S. Petri ſicut pater eius promiſit, cuius ſacra oſſa requieſcunt in Eccleſia B. Mariæ Virginis, & ſunt condita in ſcrinio. Cuius feſtiuitas celebratur 3. Kalendas Februarij. Poſtquam defuncta eſt beata virgo Aldegundis, venerunt mali homines, & peſſimi ſcilicet gentiles vaſtantes vndique Eccleſias Chriſti, & accedentes ad locum qui dicebatur ad altum Monaſterium ſanctæ Mariæ, vt vaſtarent Eccleſias Chriſti. S. Baſinus collecta maxima multitudine Chriſtianorum obuiauit eis in campo, qui vſque hodie vocatus eſt Meldeſvelt, & occidit & trucidauit maximam partem, & alios fugauit. Et ibi vulneratus fuit ſanctus Baſinus vſque ad mortem, ſed prius munitus corpore & ſanguine Chriſti, & vnctus oleo, migrauit ad Chriſtum, ſepultuſque eſt in Eccleſia S. Petri pridie Idus Iulij. Ad cuius ſepulchrum ſuſcitauit Rex cœleſtis per merita ſancti Baſini multa miracula, cæci, ſurdi, muti, claudi, leproſi, & omnes infirmi qui puro corde aduenerant, ſani fiebant, præſtante Domino Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Cuius etiam Reliquiæ requieſcunt cum filia eius in ſupradicta Eccleſia ſanctæ Mariæ Virginis, eiuſque ſepulchrum honoratur Truncinis in Eccleſia S. Petri.

Digitized by Google

BALDVINVS DE BOCLA
in Bodeloo,

DE eo ſic monumenta Bodelonenſis Cænobij. Balduinus de Bocla Monachus Blandinienſis vitam eremiticam in Waſia ducens, per reuelationem B. Mariæ, cepit ædificare Monaſterium de Bodelo anno à natiuitate Chriſti 1197. Vitam eius mſc. in monaſterio exiſtentem hic habes. Vel ob eam cauſſam, quod hactenus plena nunquam in lucem edita fuerit.

Incipit vita Domini Balduini de Bocla primi Fundatoris Monaſterij de Bodelo.

BALDVINVS DE BOCLA villa quadam iuxta Gandauum ſita, oriundus parentibus Orthodoxis & ſecundùm ſæculi dignitatem ſatis ingenuus eſt procreatus. Qui cum tenuioris infantiæ annos tranſcenderet: puer forma perſpicuus, ſenſu docibiliſſimus, & bonæ indolis eſſe cæpit. In prima pueritia ſe Domini ſeruitio decreuit mancipandum, eremum concupiſcens & vitam ducere ſolitariam, ſuper quo affectum ſuum duxiſſet ad effectum ſi minoris ætatulæ infirmitas non obſtitiſſet. Cùm verò idem puer ad vndecimum ætatis ſuæ annum vel circiter peruenisſet, in Monaſterio ſancti Petri Gandaui in Monachum ſuſcipitur, veſtitur & ſub Regula ſancti Benedicti iam omnipotenti Deo templum futurum, dedicatur. In quo Monaſterio cùm per aliquot annos exſtitiſſet: parentes ipſius adhuc ſuperſtites ab Abbate Domino Hugone dicto Faſſael, vt filius ſuus ad domum ipſorum cum ipſis & amicis ſuis

ctis ſuis per aliquot dies recreantiæ ſolatium recepturus accederet, expetierunt: & eo ab Abbate impetrato venit puer ad domum Genitoris, congaudentibus omnibus tam vicinis quàm parentibus & amicis, quibus ob lætitiam aduentus pueri grande paratur conuiuium. Die verò ad crepuſculum noctis inclinata & cœna tranſacta, & horâ pauſandi penitus appropinquante, exquiritur puer vbi per noctis tempus velit repauſare, ſiue in proaula, ſiue in ſolario, ſiue in thalami penetralibus. Id verò eo contradicente, vt in Eccleſia quæ domui Patris vicina erat, ita quòd inter ſepta Cæmiterij & ædificia patris pueri eſſet minimum ſpacium quaſi paries vnus ſibi ſtratus fieret, expetiit & impetrauit. Proiiciuntur culcitræ, linteamina, tharalia, fiunt in Eccleſia ſtratus condigniores. Et cùm puer iret dormitum comitantur ipſum quidam de familia Patris qui cum ipſo in Eccleſia ſe ſpondent dormituros. At puer vt ſemper maluerat vitam ducere ſolitariam & orationi vacare, timens ne ab oratione turbæ tumultibus impediretur: ſolus Eccleſiam ingreſſus reliquos excluſit. Malignus enim ſpiritus qui ſacris eius inuidebat actibus & timens (vt credimus) adhuc multa per puerum fieri virtutum ſuffragia, voluntati eius aduerſantia ipſum, ſi poſſet perdere, decreuit per quandam mulierem ex illo confinio oriundam, quæ ſe totum eius miniſterio mancipauerat, vt in ſuis actibus nequiſſimus patuit, proniſſimam. Quæ mulier domum patris pueri ſub ſilentio noctis latenter ingreſſa, puerum per cunctos angulos domus exquiſiuit, & cùm inuenire puerum non poſſet, intellexit illum in Eccleſia ſolum repauſare. Confeſtim ad Eccleſiam properat, & per cunctas fores manipulo extracto molitur introitum: ſperans deſiderium ſuum adimplere: & qui Ioſeph in Ægypto à matrona Principis ſeruauit incontaminatum, &

Digitized by Google

Danielem in Babylonia à leonibus intactum famulum ſuum cuſtodiuit illæſum. Tranſactis verò aliquantulis diebus puer ad Monaſterium ſuum regreditur, & eadem mulier in maleficio ſuo perſiſtens, comprehenditur, condemnatur, & ad locum tormenti veniſſet, vbi viua in puteum proiecta terra operiretur inter cætera confeſſionis ſuæ enormia palam fatetur qualiter puerum ad perdendum exquiſiſſet. Interrogatur quare & quam erga puerum cauſam odij habuiſſet? reſpondit ſe neſcire & numquam puerum vidiſſe, tamen ſe erga ipſum quam plurimum diabolico inſtinctu fuiſſe inſtigatam. Sicque res quam Dominus noſter ſub ſilentio præteriri non voluit omnibus liquido innotuit. Sed quid referam frequentes genuum flexiones? crebra orationum ſuffragia? Vigilias? & alia quę puer in eodem Monaſterio egit virtutum opera, ſicut quotidie cum gradibus ętatis proficiebat de virtute in virtutē: quæ ſi omnia & ſingula vellem recitare; timeo quòd ſermo prolixior veſtris tædium auribus inferret. Et cùm vacare poſſet tam in pueritia quàm in ſequenti adoleſcentia ſcholaribus diſciplinis, quarum vſu ſufficienter inſtructus habebatur ſe ſemper mancipauit; ſicque nullum tempus ſub torpenti ocio præterire permiſit. Qui dum ad annos perueniſſet diſcretionis, & in ſacros Ordines eſſet promotus Abbate ſuo iubente ad quamdam curtim ſuam quæ dicitur Lieſdal in Angliam proficiſcitur. In qua cùm multa eſſent loca ſecretiora, fecit tamen in nemore curti vicino, ſicut ſemper eremum concupiuit, paruulum oratorium ramuſculis & aliis lignis: in quo orationi latenter vacaret, cùm poſſet prout Patres fecerunt antiqui. Poſteà verò cùm ab Anglia eſſet reuerſus: & quodam tempore eremum inter Waſiam, & Hactuelde iacentem per deuia ſilueſtria & nemoroſa quorum copia tunc temporis ibidem

dem habebatur maxima perluſtraſſet: ad locum in quo nunc Monaſterium de Bodelo ſitum eſt, peruenit angelico ductus comitatu & diuino iudicio ſibi ſine dubio demonſtratum, quia in eodem loco ſe audiuiſſe teſtatus eſt angelicum melos dulciſonum. Loco ergo notato reuerſus ab Abbate vt in eremo vitam ducere poſſet grauiorem licentiam ſibi fieri poſtulauit. Abbas verò ipſum videns diuinitus inflammatum, & ſacræ voluntati eius contrarie non audens, licentiam conceſſit eidem, licet inuitus. Ad prædictum verò locum confeſtim properans, ſecum ſex panes ordeaceos & paruulos detulit; omnem ſollicitudinem ſuam in illum proiiciens, qui quærentibus primùm regnum cœlorum & iuſtitiam eius, omnia neceſſaria promittit adiicienda. Et his panibus per 40. dies in eadem eremo eſt ſuſtentatus, prout dudum Helias per vnum confortatus prandium, ieiunium adimpleuit quadragenarium. Inuenitur tandem à paſtoribus, & omni viciniæ palam faciunt ſe in nemore ſecretiori Monachũ nigri habitus inueniſſe. Ad quem multi confluunt ſacris eius orationibus ſuffragari cupientes & ipſi victualium neceſſaria adminiſtrant. Conſtruunt etiam ipſi ibidem quoddam recluſorium tamquam caſam paruulam. Erat in iiſdem partibus vir nomine Theodoricus habens filium Guilielmum nominatum, qui & poſteà Priorulus cognominabatur. Et hunc ad ſeruiendum viro Dei obtulit & conceſſit. Qui miniſterium ſibi creditum ſemper vt fidelis miniſter ſtuduit adimplere. Quid ciborum ærumnas? quid ædificiorum inedias? quid nuditatem algoris? quid famem? quid ſitim? quidue referam cæterarum, quas Chriſti tyrones ibidem perpeſſi ſunt inopias eorum. Quadam verò die cùm eſſet in exercitio noualium laborans prout multum ſueuerat in ſecuri & li-

gone, quidam ſenex canus capillis, vultu procerus, ſub pauperis habitu miniſtrum adiit domi reſidentem & ad extinguendum eſuriem ſuam, aliquod ab eo ſibi petiit beneficium: quippe affirmat ſe per triduum panem nec vidiſſe, nec guſtaſſe. Cùm nihil autem haberet ad veſcẽdum niſi paruulam partem ordeacæ panis, ſub cinericij miniſter egreſſus Domino omnia intimauit. Ad quem Dominus ſuus: Confer egeno de pane partem ad me ſpectantem. Ad quem miniſter: Dies penitus inclinata eſt ad veſperam & villæ remotæ ſunt; licet in inſtanti abiero & iter fecero proſperum vix ante mediam noctem perficiam reditum: & adhuc ieiunamus; & panem egeno conferam? Ad quod Dominus reſpondit: Confer egeno panem, & ne timeas; Dominus nobis prouidebit, quoniam numquam derelinquit ſperantes in ſe. Reuerſus verò miniſter contulit ſeni panem, & ſenex accepto pane ait: Numquid & pulmentarium hic eſt vt quid accipiam? ſiue de caſeo, ſiue de butyro? Ad quem miniſter: Hic nihil aliud eſt niſi ſal benedictum, quod ſi volueris, eſt tibi paratum, & ſenex ſubridens & egreſſus tacita voce ait: Domina charitas vobis prouidebit. Poſt hæc vir Dei aduenieńs, cellulam intrauit, vt laudes Deo exſolueret veſpertinas; quibus cantatis vir Dei ad priſtinum laborem eſt egreſſus; ſed prædictus ſenex reuerſus, mappam albam, protulit in vno fine, plenam albis panibus, in alio verò auenacea farina, vt dicitur grumella, vnde pultes fiunt, & menſæ ſupponens ait: Hæc vobis Domina charitas tranſmittit; & egreſſus eſt ſtatim mappa relicta, miniſter verò foras currens, vt poſt eum reſpiceret, neminem vidit. Sic verò Dominus quondam Danieli in lacum leonum miſſo per Abacuc prandium tranſmiſit, & eo refecto protinus Abacuc, per Angelum ſuum in

priſti-

priſtinum locum reſtituit. Miniſter ſtatim currens, Domino omnia prout geſta ſunt intimauit. At vir Dei miſericordiam Domini ſemper diligentibus ſe ſciens affluentem, nec per hæc eleuatus eſt in gloriam humanam: ſed majori deſiderio in amorem diuinum æſtuatus ait: Fili exhortemur in Domino congaudentes bonitati eius, vult enim nos in iſta eremo manere & perſeuerare. Cùm ad tantum perueniſſent augmentum quod tres habuerunt capras, paſcuis eis emittens Dominicæ curæ & cuſtodiæ commendabat præ timore luporum, quorum magna multitudo tunc temporis ibidem habebatur. Quâdam die cùm dictæ capræ diutiùs morarentur, miniſter pro iis ſollicitus, & foras egreſſus, ſi eas vſquam conſpicere poſſet, conſpexit quaſi ſex capras venientes; & mox ad Dominum ſuum currens, ait: Domine non habemus niſi tres capras, & ecce ſex ſimul adueniunt. Quas cùm ambo diligentiùs intuerentur; cognouerunt tres ex illis lupos eſſe, & quaſi hœdi cum eis ludentes & perſilientes, ac circumſilientes eas vſque ad ſtabulum ſine omni læſione perduxerunt; quibus ſtabulatis cum omni manſuetudine reuerſi ſunt. Quis dubitet virum Dei à diabolo ſæpius tentatum. Quâdam nocte cùm vir Dei jaceret ſopore ſolutus, diabolus ſub humana voce ad ipſum clamauit: Domine Balduine ſurge: & ipſum mox agnoſcens, iam inquit in tædium & dedecus tui dormiam & requieſcam? cùm ex conſuetudine haberet quod multoties mediis noctibus cellulam excederet ſoliuagus: & debitas matutinarum horas Domino decantans, orationi & contemplationi intendens per nemora circuiret, ait ad ipſum miniſter: Domine cùm tot lupi hic ſint, quòd ferè ſingulis noctibus circa ædificium noſtrum currentes & vlulantes vix nos intactos permittant, miror cur de noctibus ita

per

per nemora incædere intendas. Cui vir Dei reſpondit: Creaturæ Dei ſunt, & quaſi mediis tranſires ouibus, ita me cum omni manſuetudine tranſeunt per vias ſuas abeuntes. Quâdam nocte cùm hyems eſſet validiſſima & vir Dei de more per eremum incedens viam ſuam verſus ſteken arriperet? per quam viam lupi ſolebant habitare frequentius: & ad hos capiendos, in media via quaſi typus facta eſt fouea profunda; habens in fundo aquam nimiam, decidit in eandem in qua madidus effectus cùm graui labore vix egreſſus eſt, & meditans intra ſe hoc tentamen eſſe diabolicum, & propterea à cepto deſiſtere nolens vlterius progreditur, & cùm viſum eſſet ei ſatis longè abiiſſe reuerſus ex improuiſo in prædictam iterato decidit foueam. Ex qua vix egreſſus ſummo labore & maximo niſu ad cellulam feſtinat redire? ſed veſtes vdas gelu conſtringente & congelante quaſi febricitans gemere cæpit & frigere. Cùm miniſter ad cellulam venientem, & ita trementem agnoſceret: citò ſurgens foco detecto & viuificato cucullam eius extraxit quæ gelu cōſtricta ſtetit iuxta ipſum quaſi ferrea ſurſum erecta. Cùm miniſter ignoraret euentum rei, & quod exutus loqui non deberet, & cùm ad ipſum loqueretur, & nullum daret ei reſponſum: contriſtatus clamaret: Heu, heu, Dominus meus amiſit loquelam. Cuius timorem & dolorem manu & nutu blandè compeſcuit, nolens infringere ſilentium, ne contra Ordinis regulā facere videretur. Poſt breue temporis ſpacium ſociatur eis Frater Arnulphus de Elinaxa oriundus. Quâdam nocte cùm vir Dei labore fatigatus & oratione, in ſtratu ſuo obdormiens repauſaret: viſum eſt ei quod illa beatiſſima & miſericordiſſima Mater Domini noſtri Ieſu Chriſti Virgo Maria ad ipſum accederet, exhortans præciperet ei vt Monaſterium iam ædificare inciperet, ſpondens

Digitized by Google

dens ſe coadiutricem & cooperatricē in omnibus ſe ei aſſiſtere, ex quo dictum opus inchoaret. Mane vero facto cum vir Dei fratribus quod viderat narraret: Frater Arnulphus ad ipſum aiebat, nos paruum quid vix habere poſſumus ad edendum; & tu monaſterium ædificare proponis? ſic vir Dei à propoſito deſiſtit. In ſequenti vero nocte beatiſſima virgo & Mater Dei iterato in viſione apparuit ei dicens: Frater mi quare opus quod exhortata ſum vt ædificares adhuc non inchoaſti? Aggredere igitur opus prædictum & ſcias me hunc locum elegiſſe & ſedem eſſe ſeruientium mihi in ſæculum ſæculi. At vir Dei mane facto fratribus quæ viderat iterato expoſuit, ſed frater Arnulphus quaſi in nullis confidens niſi in his quæ in præſentia eſſent: iraſcens ait: quantas hic ſuſtinuimus paupertates & tribulationes, & rebus temporalibus pœnitus nullis ditati, & clauſtrum ædificare æſtimas? Mox patet te eſſe infatuatum & ſcias me reuerſum vnde veni. Cui ille: Cariſſime ne pigeat, te paupertatis & laboris? quia pro his cōſequeris ibi coronam valentiorem omni regno: quæ inchoanti promittitur perſeueranti datur. At ille minus intelligēs illi reſpondit: tu loqueris mihi de corona & vix habeo ſertum ſtramineum. Sic vir Dei à propoſito deſiſtit, orans vt ſi hæc viſio à Deo ſit & non illuſio diabolica iam ei tertio reueletur. Cum igitur proxima nocte ſopori deditus eſſet, viſum eſt ei ſanctam Dei genetricem aſtare, quæ quaſi iraſcens ad eum dixit, adhuc opus quod exhortabar non es aggreſſus? nónne confidentia noſtri tibi deeſt? Aggredere igitur frater opus iuſſum & ſicut pollicita ſum faciam. Mane igitur ſuccingens ſe & ſecurim apprehendens operarios conuocat: arbores celſas & magnas fecit incidi. O Dei & genitricis eius miſericordia & pietas, quotquot habuit

 opera-

operarios quantaſcumq; tam in victualibus quã in pretijs exponeret expenſas: ſemper ante diei occasũ perſolutæ fuerunt. Sic conſtruit Eccleſiam & domũ ſatis magnã & in conſũmatione dicti operis omnia perſoluta fuerunt: cum tamen in inchoatione eiuſmodi nihil paratum haberet. At Guilielmus Frater Prioruſus cum amici eius ipſi frequenter & latenter ſuaderent vt recederet & aliquod officiũ quo ſuſtentari poſſet addiſceret: quippe affirmant poſt obitũ Domini Balduini omnia diſpergenda eſſe & diſſoluenda, ſuper his ſolicitus & anxius quamdam noctem duxit inſomnem, dubitans quidam faceret. At vir Dei mane aduocans illum ait. Quid Guilielme per noctem aggrauabaris dubietatis tumultibus, ne timeas & in ſeruitio perſeueres Dei, & ſcias locum iſtum magnum quid eſſe & nominatiſſimum. Sic vir Dei non ſolum futura præuidit, ſed cogitationes hominum nouit. Erat in Gandauo vir proſapia ingenuus, corpore iuuenis, ſpecie decorus, rebus ſæcularibus deditus, carnis tamen contagionis immunis, quippe cunctas matronas ſiue puellas eius connubio vel commixtione indignas arbitrans, Euſtacius Mate nominatus, hic cum quadam die ad virum Dei accederet, audita eius exhortatione & admonitione ſpiritu diuino inflammatus, ſe cum viro Dei fratrem fecit familiarem: ditans dictum monaſterium bis octingentis libris. Nobiliſſimus vero Comes Balduinus qui poſtea apicem Conſtantinopolitani imperij diuino fauore eſt adeptus: audita viri Dei religione contulit ipſi de moro & gaſtina circumiacentibus, quantumcumque vellet: & priuilegijs illud affirmat, in quorum poſſeſſione dictum monaſterium vſque in hodiernum diem. Poſtea recipitur ibidem frater Polinus filius præconis de Lokere & ſic grex Dei augmentatur. Balduinus vero Comes prędictus

ad

ad transmarinas partes proficiſcens, Philippum fratrem ſuum Neomanniæ Comitem nomine Tutele totius Flandriæ conſtituit Procuratorem. Dictus Philippus Comes auditâ viri Dei religione, & habitâ cum ipſo collocutione: exhortabatur eum vt habitum ſuum in ordinem Ciſtercienſem mutaret, offerens ei centum libras annuatim monetæ publicaæ, & centum eius ſtructuræ, dummodo id facere vellet. Ad quem vir Dei ait: & ſi non mutauero es mihi aliquid daturus. Qui reſpondit: non. At ille inquit: numquam mercedis gratia credo vel quero habitum meum mutare. Eſtimabat enim, ſimoniæ ſibi non deeſſe; ſi tali contractu habitum ſuum mutaſſet? Maleus in prima vocatione perſeuerare iuxtat illud Apoſtoli. In eadem vocatione, qua vocati eſtis, Domino ſeruite perſeuerantes. Poſt puſillum tempus ſuſcipitur ab eo frater Hugo Monachus qui poſtea cognominatus eſt magnus. Poſt circulum dierum paucorum decidit in lectum & Euchariſtiæ ſacramento munitus & inunctus & cum fratres ad ipſum conuenirent eleuans oculos in ipſos exhortabatur, & admonuit eos vt fideliter in ſeruitio Dei perſeuerarent, & ſæculi blandimenta reſpuerent, dicens eis: qualia vobis poſſem oſtendere & intimare? & cum videret ſæcularem perſonam aſtare, oculis ſuis recluſis conticuit. Cum ſero factum eſſet, & fratres iterato coram ipſo adeſſent: aperiens oculos reſpexit eos. Cumque interrogaretur quidnam vellet intimare eis, reſpondit: Inhibitum eſt mihi, ne quid vlterius vobis pandam: ſed dico vobis quod numquam peccatum mortale commiſi prout ait Apoſtolus In nulla conſcius mihi ſum, nec tamen in hoc a me iuſtificatus. Sed te rogo Domine Ieſu Chriſte, qui pro redemptione humani generis ſubire voluiſti mortis ſupplicium, ne me in pœnis purgatorij aliquandiu

morari permittas?ſed ſuſcipe in pace animam meam. Poſt puſillum vale ſingulis facto: obdormiuit in Domino. Et qui omnibus his interfuit teſtimonium perhibuit: & credimus eum vera teſtari. Anno igitur Dominicæ incarnationis milleſimo ducenteſimo migravit ad Dominum: cui eſt honor & gloria, laus, poteſtas & imperium, per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen.

BALDVINVS GANDENSIS

Dominicanus.

2. *Aug.* VT monumenta Cœnobij Gandauenſis de eo conſcripta habent prius in ſæculo Sacerdos fuit, qui cum bono zelo amplexatus eſſet inſtitutum Fratrum Prædicatorum, grauibus tentationibus imperitus de eo deſerendo cogitare cepit, hac potiſſimum de cauſſa quod annis aliquot Paſtoris anteà officio functus in Eccleſia vberes fructus illi inde prouenientes in pauperes erogaret; nũc verò aliorũ eleemoſynas comederet, nec cuipiã, vt aiebat, ſubvenire valeret prius prædicare, infirmos viſitare, confeſſiones audire, conſcientias aliorum mederi, Sacramenta adminiſtrare ſoleret, è contra in Cænobio ſub quiete & ſilentio & quaſi ſibi ſoli viuere cogeretur verum cùm per aſſiduas preces conſilium à Deo peteret, & ſe ante Virginis aram proſtrauiſſet, eodem quo ad vitam priſtinam die reuerti cogitaret, obdormiens à Virgine Deipara bina illi pocula quorum prius inſipidum vitam ſæcularem, alterum conditius religioſam indicabat, porrigente admonitus in eodem B. Dominici Sodalitio perſeuerat, & cum magna ſanctitatis opinione obijt anno 1273.

BARBA-

Digitized by Google

BARBARA

Virgo & Martyr Gandaui.

BARBARA virgo & martyr Maximino Imperatore inſignis fuit. Patrem habuit Dioſcorum, nobilem quidem virum, at impium & idolorum cultui vel maximè deditum. Huic patri filia planè diſſimilis, ab ineunte ætate mundi pulchritudinem, certumque ſemper ordinem admirata, hacque contemplatione ſummum rerum opificem vitamque colligens tandem in idolorum, quæ pater venerabatur, os conſpuit, ac dixit præterea veſtri ſimiles ſunt, & qui vos fingunt, & qui vos colunt. Atque ita quidem puella Barbara Spiritus ſancti lumina duce progrediebatur in fide & ſapientia & ætate & gratia: ſed & eam filiam pater Dioſcorus vnicam habuit, egregiâ formâ & morum elegantiâ præſtantem, cui & turrim altam ædificauit, inque ea filiam incluſit. Qua in turri cum illa vitam traduceret multa interim ſecum piè & religioſè meditans, tandem pater impulſus à multis, iiſque nobilibus viris, qui ſibi illam in matrimonium dari contendebant, hoc multis verbis ei ſuadere conatur. At illa conſtanter negat ſe velle nubere, ſtultum ducens ſe iam cœleſti ſponſo dicatam terrenas nuptias inire; quod videns pater, ab eius oculis longe peregrinari ſtatuit, id certè ſperans vt patris deſiderio victa filia eius voluntati cederet. Intereà priuſquam abeat, iubet balneum ædificari, iniungens vt duas in eo feneſtras facerent, vbi cùm Barbara abſente patre pro duabus tres fieri curaſſet, in honorē SS. Trinitatis, ac inſuper labri pauimentum crucis imagine ornari, pater reuerſus ædificij rationem mutatam dolens furenter iraſcitur. Fabri culpam in filiam reiiciunt, quæ oportu- 4. Dec.

nam hanc nacta occaſionem, aperte de SS. Trinitatis gloria diuinitus multa dixit, deinde pluribus verbis ad ſalutarem Ieſu Chriſti fidem cohortata eſt patrem, qui graui filiæ oratione orator factus, vt is qui omni impietate imbutus erat, primum ſtricto enſe vnicam filiam adgreditur: deinde nihil etiam motus quod Saxum ingens mirabiliter ſe patefaciens, fugienti filiæ viam aperuerat in montem vſque illam perſecutus, crudeliter eam tractat, eius latera pedibus, dorſum pugnis fœdè percutit, crinibus raptatam via aſpera ac difficili trahit, ad hæc ob virginis conſtantiam inſaniens, denique præſidi Prouinciæ Martiano eam tradit, qui cum fruſtrà blanditijs emollire eam ſe cerneret, mox nudatam neruis bubulis grauiſſimè cœdit, dein ferreis vnguibus dilaniatæ faces accenſas admouet tum & caput malleolis quibuſdam pertundit, ac poſtremo vbera præſcindit, ſicque eam gladio ferin iubet. Cuius cœdis miniſter non aliquis alius fuit, ſed pater ipſe Martyris, qui & ob hoc mox fulminibus de cælo iactis comburitur. Paſſa eſt tempore Maximini, qui Alexandro ſucceſſit circa 237. annum humanæ redemptionis. Piè per vniuerſam Flandriæ colitur, ac ſingularis olim eius in D. Bauonis Monaſterio frequentata fuit memoria, cum magna iſtic virginei Corporis pars eſſet, quæ nuper hereticorum furore, cum alijs quibuſdam Sanctorum corporibus eſt ſublata.

BAVO

BAVO

Gandauenſium Patronus.

AGILVLFVS Hasbanicę ex regia Auſtraſiorum Principum ſtirpe procreatus, ac Carolomanni Patris Pipini de Landas, quem primum vocant Brabantiæ Ducem, Frater Patruelis, filium pręclaræ indolis Allowijnum cognomento Bauonem reliquit. Qui iuuenis ſub Imperatore Mauritio magna cum laude militauit. Ac deinde Francorum Auſtraſiarumque Regum, quibus cognatione iungebatur in mutuas cœdes pro ruentum bellis diu agitatis cum poſt Brunichildis Reginæ triſtem exitam ſumma rerum ad regem Clotarium deuoluta fuiſſet, multorum nobilitate ac rerum geſtarum gloria præſtantium militum ac ſanctioris vitæ propoſitum ſeſe transferentum exemplum ſecutus eſt; contemtiſque opibus ac honoribus ſæculi, atque à B. Amando Tungrorum Epiſcopo Chriſti gloriam plenus edoctus deinceps certa animi deliberatione ſoli Chriſto crucifixo militare ipſe quoque ſtatuit. Et licet Mauricius Imperator lege lata prohibuiſſet, ne quis ex ſæculari militia ad monaſticam vitam tranſiret in propoſito tamen Clotarij Dagobertique Regum fauore ſuffultus, & à Gregorio Magno Pontifice Romano, aduerſus Mauricij editum pium militum inſtitutum excuſante ac defendente, animatus conſtanter perſtitit præclarumque inter cœtera Monaſteria apud Gandam ad ſcaldis ac legiæ confluentiam eodem D. Amando promotore, in honorem D. Petri Apoſtoli magnificè extruxit, quod ob eo poſtmodum denominatum eſt. Cum prius pecuniam & theſauros ſuos in pauperes diſtribuens, cæteras terras ac prædia, 1. Octob.

prædia, quæ in Brabantinorum agro alibiquè plurima poſſidebat in pios vſus & hunc præcipuè contuliſſet. In eo Cœnobio & ipſe aliquot annos pœnitentiam agens ſoliſque Deo (abiectis omnibus humanis curis) inſeruiens cum omni ſanctitate vitam hanc temporalem cum æterna anno Domini 631. Kal. Octobris fœliciter commutauit. Cuius etiam mutatione Gertrudis & Begga Pipini filiæ ſeſe puriori vitæ addixerunt, multique Principes viri ac fœminæ ipſius exemplum ſecuti, ſanctimoniæ laudem apud poſteros meruerunt. Ipſa quoque ſancti Gertrudis, animam eius ſanctam ſimul atque è corpore exiſſet, vidiſſe, ac linteum in quo beati viri cognatique ſui corpus inuolueretur manibus ſuis contexuiſſe, eoque ipſum donaſſe fertur. Ita officium Sanctorum Eccleſiæ Gandauenſis. Vitam ſcripſit Theodoricus Abbas S. Trudonis. Plura vide apud Molanum hoc die, & in prædicto officio.

D. BERNARDVS CLAREVALLENSIS

Apud Dunenſes.

20. *Aug.* ANno 1138. D. BERNARDVS Abbas Claræ-Vallis in Flandrias venit prædicatum, vbi ſanctis concionibus ac ſalutaribus exemplis permultos ad piam beatamque perduxit vitam, in quibus Arnulphus quidam cognomine à Maiorica tantâ ſolicitudine cuſtodiuit illius doctrinam, tantâqua patientiâ longos graueſque ante obitum pertulit morbos, vt de eius conuerſione ac conſtantia ſæpè Bernardus gratias agens Deo diceret ipſum fuiſſe tanquam aurum in fornace probatum. Meyerus lib. 5. Annalium in Theodorico Elſatio. Apud Furnenſes autem cum verbo Dei inſiſteret Bernardus Dunenſibus Cœnobitis Ciſter-

Ciſtercienſium tradidit inſtitutum, ac Robertum Monachum ſuum, ad quem nunc eius extant epiſtolæ, patria genteque Brugenſem Abbatiam inibi fecit, qui tam celebri floruit fama Sanctitatis vt ab ipſo Bernardo iam animam agente electus ſit Abbas Claræ-vallis. Meyerus ibidem.

BERTVLFVS CONFESSOR

In Monte Blandinio.

BERTVLFVS Patria Germanus, Renticam diœceſis Morinenſis vicum veniens ibidem baptiſatus eſt, adhæſitque Wamberto Comiti eiuſque coniugi Hombuſæ, qui paulo antea Monaſterium ibidem exſtruxerant. Romam cum eiſdem profectus, indeq; redux viros multos religioſos Renticæ collegit quibuſcum ſanctiſſimè vixit, & circa annum 680. pijſſimè in Domino obdormiuit. Sacra eius oſſa propter excurſiones piratarum primo Bononiam, munitum Galliæ opidum ad Oceanum inde Harlebecam ab Arnulpho magno Flandriæ Marchione, ac demum Gandauum ad Blandinienſe cœnobium ſunt tranſportata. Eſt autẽ Rentica ſeu Rentiacum pagus gentis Croyæ titulo Marchionatus celebris. Solet in Blandinio, vt conſtanti fama apud illos traditur, pulſum velut manibus edere circa feretrum ſuum graui aliqua iminente diuinâ vltione, & ſic tamquam admonere fideles, vt precibus, & fructibus pœnitentiæ iram Dei accenſam placarent, plura de eo apud Molanum vide hac die. 5. Febr.

G BRIXIVS

BRIXIVS MARTYR
Gandaui.

12 *Nou.* SANCTVS BRIXIVS Martyr de ſacro fonte leuatus eſt à S. Leuino, qui apud matrem eius nobilem & religioſam matronam Craphahildem hoſpitabatur. Cum qua etiã immaniter eſt trucidatus, eodem die quo beatiſſimus Liuinus, eo quod per ipſa quærebatur ſanctum Epiſcopum immerito interfectum eſſe. Natalis neutrius celebratur. In feſto tamen tranſlationis reliquiarum Eccleſiæ S. Bauonis in miſſæ ſacrificio cõmemorationem habet innocens filiolus per ſequentem collectam. Propitiare quæſumus Domine nobis famulis tuis per ſanctorum Confeſſorum tuorum Bauonis, Landoaldi, Macarij, adque Amantij, & beatorum Martyrum tuorum Liuini, Adriani Brixij, & ſanctarum Virginum Barbaræ, Vincianæ, Landradæ, Pharahildis & cæterorum quorum reliquiæ in præſenti Eccleſia requieſcunt merita glorioſa, vt eorum piâ interceſſione ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Cùm autẽ Cornelius Ianſenius primus Gandauẽſis Epiſcopus feretra quædam Sanctorum viſitaret, quæ in ſubterraneis locis propter Gueſios latuerunt in eo quod dicebatur & credebatur eſſe S. Adriani Martyris ac internuntij S. Landoaldi, inuenit reliquias totius corpuſculi S. Brixij integras atque illæſas, cum ſcedulis, in quibus ſcriptum erat. Hic requieſcit S. Brixius puer Martyr Chriſti pretioſus ſanctiſſimi Liuini Epiſcopi & Martyris in baptiſmate filius. Has Reliquias tranſtulit D. Betto Abbas Gandauenſis cœnobij in iſtud ſcrinium. 5. Id. Aprilis 1175. paruum itaq; pheretrum eſt aptatum in quo omnes Martyris reliquiæ decenter purgatæ, poſitæ ſunt.

BER-

Digitized by Google

BERNARDINVS SENENSIS

Brugis.

ANNO 1420. In religione Seraphica totius perfectionis & Regularis Obſeruantiæ ſpeculum florebat S. Bernardinus, qui Minorum Ordinem ad puriorem obſeruationem reduxit, qui cum Vicarius Generalis Florentiæ primus inſtitutus anno 1436. eſſet, vt eius ſtudijs cepta reformatio debitum ſortiretur effectum totum pœne ordinem peragrauit. Brugis etiam aliquamdiu moratus eſt, verbumque Dei prædicando multos ad emendationem vitæ negotiatores exteros iſtic degentes perduxit, in eo quoque Conuentu puteum benedixit, ex cuius aqua bibentes certum aduerſus febres antidotum percipere olim ſolebant. Ex Arch. Monaſterij Brugenſis. *26. Maij*

CAROLVS FLANDRIÆ COMES

Brugis.

PATREM habuit ſanctum Canutum Daniæ Regem ac Martyrem. Occubuit & filius ipſe Martyr pro Iuſtitia Brugis in Baſilica S. Donatiani anno 1127. Cæſus cum ante aram Deiparæ in ſuperiori templi parte, quæ palatio eius erat contigua, preces ad Deum funderet de vita & morte illius amplum ſcripſit commentarium Gualterus Archidiaconus Morinenſis, quem Iacobus Sirmondus Societatis Ieſu Presbyter anno 1615. Lutetiæ edendum curauit. Sacra eiuſdem oſſa è tumulo leuata in ſacrario *2. Martij*

Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ S. Donatiani religioſe adſeruantur, fuit vir procera admodum ſtatura, nouem ſcilicet pedes longus. Cui longitudini corporis membra & oſſa, quæ hodie magnâ cum admiratione ibidem ſpectantur, reſpondebant. Cauſſa necis fuit, quod cum in maxima Galliarum fame, liberali eniteret munificentiâ, ac innumeris pauperibus quotidiana victus ſtipendia miniſtraret: coegerit præpotentem Stratenſium familiam vt frumentum in horrea congeſtum, partim iuſto pretio venderet, partim gratis emetiretur. Vnde in eum exorta eſt fœdiſſima Stratenſium coniuratio, quæ poſtmodum lite inter Stratenſes & Tagmarum equitem exortâ, maiores vires accepit beato Carolo de Iuſtitiæ regula cœdere nolente. Itaque dum ſanctus Marchio Ipris Conuentum nobilitatis ad ſanandam Sratenſium amentiam indixit: illi magis conſpirarunt in religioſiſſimi principis necem, quam & poſtea ſacrilege perfecerunt. Vide Molanum.

CÆLESTINVS ROTNACI.

17. *Maij.* AN is fuerit Papa Bartholomæus Petrus Lintrenſis & Georgius Coluenerius Doctores Theologi Duacenſes, qui Ioannis Molani natales Belgicos anno 1616. ibidem cum notis recudendos curarunt, meritò dubitant. Nam Cæleſtinus, qui Rotnaci quieſcit, videtur martyr fuiſſe, vt colligi datur ex illo verſiculo:

Vita Celeſtini gladio fuerat data fini.

Qui verſiculus in veteri Rotnacenſium Sanctorum feretro legi ſolet; vt Iacobus Pamelius in Prolegomenis ad Cyprianum teſtatur, & nos à Rotnacenſibus Canonicis (inquit Miræus) anno 1622. accepimus. Cæleſtinus autem Papa ad ſextum diem Aprilis in Martyrologio Romano adſcri-

adſcriptus, non Martyr ſed Confeſſor fuit. Meyerus certè in Annalibus Flandriæ ad annum 765. refert Rotnaci obiiſſe B. Cæleſtinum Scotum Abbatem Blandinienſem, quem in exiliū Carolus Martellus miſerat. Ego quod certo ſtatuam, non habeo. Vt vt ſit ex Archiuis Eccleſiæ Rotnacenſis accepi xvj. Kal. Iunij anno 1167. corpus ſancti Cæleſtini, ex veteri feretro in nouum, permiſſu Epiſcopi Cameracenſis eſſe tranſlatum per Abbatem Eynhamenſem, eidemque Abbati tunc datum fuiſſe caput ſancti Cæleſtini. Ita Miræus.

CANVTVS

Daniæ Rex.

IN ciuitate Ottonienſi ſancti Canuti Regis & Protomartyris Danorum, qui anno 1086. pro zelo Chriſtianæ Religionis à Blacco ſuo familiari in baſilica ſancti Albani martyris ante altare manibus ſolotenis expanſis in modum crucis, in latere eſt lanceatus, & feriâ ſextâ mortem pro Chriſto paſſus. Occiſi ſunt cum eo Benedictus frater, & alij ſeptendecim commilitones. Porrò Regina nobiliſſima Ethla corpus deliberauit ad natiuos terminos ſecum deducere, ſed oſtenſa indicia hoc non ſinebant. Et hæc ex officio Eccleſiæ Roſchildenſis. Reliquum hiſtoriæ apud Saxonem legatur lib 11. Nos memoriam eius recenſemus hoc loco, quia Ethlam, quam nos Adelam dicimus filiam Roberti Friſij Flandriæ Comitis vxorem habuit. Ex qua genuit Carolum cognomento Danum & Bonum, Comitem & Martyrem Flandriæ. 10. *Iulij.*

Digitized by Google

COLETA VIRGO

Gandaui.

6. Mart. COrbeiæ in Picardia nata Ordinem S. Claræ, primum in Monaſterio vrbis Biſontinæ apud Burgundos, poſt in aliorum quoque locorum variis Cænobiis ad veterem diſciplinam reuocauit; vſa potiſſimum conſilio P. Franciſci Balmæ confeſſarij ſui viri moru quæ vitæq; integritate laudatiſſimi: cuius oſſa in Biſontino Cænobio quieſcunt. Obiit autem Coleta Gandaui in Bethlehem ſui inſtituti Cænobio anno 1447. vbi hodieque ſacrum eius corpus integrum magnâ veneratione à Monialibus adſeruatur. Vitam eius fusè ſcripſit Stephanus Iuliacus Theologus Pariſienſis à Surio editam. Colitur autem Gandaui à ſuis officio Eccleſiaſtico, iuxta indultum Clementis Octaui Papæ, quod ad alia eiuſdem inſtituti Cænobia Belgica Paulus V. anno 1610. extendit. Eius rei diplomata Miræus in Faſtis poſuit. Cæterum reformatæ huius Congregationis Monaſteria ſunt iſta: Biſontinum ac Poligniacenſe in Burgundia, Gandenſe & Brugenſe in Flandria, Atrebatenſe & Heſdunenſe in Arteſia, Cameracenſe in Prouincia eiuſdem nominis, Ambianenſe & Peronenſe in Picardia, Rotomagenſe in Normannia, Muſſipontanum in Lotharingia, Nannetenſe in Britaunia minore, Chamberienſe in Sabaudia, Dienſe, Dauronenſe & Surrenſe in Delphinatu, item Aneſſiacenſe in Sabaudia. De quibus vide Orig. Monaſt. Miræi lib. 3. cap. 11.

CORNE-

Digitized by Google

CORNELIVS ET CYPRIANVS
Martyres Rotnacic.

COrnelius Papa in perſecutione Decij poſt exilij relegationem primũ plumbatis cæſus, poſteà cum aliis viginti & vno promiſcui ſexus eſt decollatus. Cyprianus doctrinâ clariſſimus ſub Valeriano & Galieno Principibus poſt durum exilium, ſimiliter detruncatione capitis Martyrium conſummauit, ſexto milliari à Carthagine iuxta mare, vt in tabulis Martyrologij Rom. legitur. Horum Martyrum oſſa ab Aarone Perſarum Rege per Aſiam & Africam latiſſimè dominante ad Carolum Magnum ex Africa per Arelatem tranſmiſſa ſunt, & poſtquam Lugduni aliquandiu quieuiſſent, inde per Carolum Imp. Lud. Pij filium aduecta ſunt Compendium Picardiæ oppidum, ad Monaſterium nouum, quod idem Auguſtus eo loco conſtruxerat. Compendio poſteà ſi non omnia ſaltem plurima Ludou. Lotharij filius Rotnacum tranſportauit, & cum ſancti Hermetis celeberrimi martyris Lipſanis ibidem honorificè collocauit; vt partim ex Adonis Martyrologio, partim ex Rotnacenſis Eccleſiæ (inquit Miræus) monumentis collegi. Quibus rebus illuſtrandis libet hic adtexere epiſtolam, quam Ioannes Haius Theologus & Canonicus Tornacenſis ante annos 50. ad Viglium Zuichenium Præſidem ſcripſit, quamque Iacobus Pamelius ſuis ad Cyprianum prolegomenis inſeruit. 14. *Sept.*

Quemadmodum gloriatur Cicero nobiliſſimam Siciliæ ciuitatem Syracuſas acutiſſimi ciuis ſui, Archimedis monumentum ignoraſſe, donec ab homine Arpinate & peregrino illud didiciſſet: ſic tanti, tamque celebris hoſpitis Cyprianum dico, perpetuâ ſanè ignorantiâ Belgium laboraſſet,

raſſet, niſi veſtræ monitionis claſſico, tanquam reuelatione quadam ſolemni innotuiſſet, Bruxella enim nō ita pridem reuerſus percunctari cœpi, num aliquando diui Cypriani corpus quieſcere Rotnaci audiiſſent qui eo aliquando fuiſſent profecti illi planè ignorare ſe affirmauerunt: celebre iſtic quidem eſſe SS. Hermetis & Cornelij nomen; ſed de Cypriano nihil. Ideoque me accinxi itineri & ſatis prolixo ſermone habito cum Canonicis illi me deduxerunt ad gazophylacium templi; ibique meis oculis expoſuerunt feretrum cupreum deauratum Apoſtolorum imaginibus interſtinctum, in tres veluti diſtinctum capſulas laminis tribus deauratis, quod opus antiquiſſimum iudicarunt adhibiti aurifices, cuius longitudo quinque ferè pedes æquat; in cuius margine tales inſcribuntur verſus:

Duplex vita tenet cælos, hic oſſa tenentur
Oſſa ſigillauit hic operoſa manus,
Sufficit ad Titulum, Cæleſtinum capit aula,
Gaudent in cœlis Cornelius & Cyprianus
Vita Celeſtini gladio fuerat data fini.
Cornelius gladij ſuſcepit acumine funus;
Cum quo bis denis gladio caduntur & vnus.
Carnificiſque manu ſic paſſus erat Cyprianus
Hic Cæleſtinum Sanctos locat & Cyprianum.
Hic eſt dæmonium pellens morbumque caducum
Hæc breuis arca patres coniungit Apoſtolicos tres.

Quæ omnia bonâ fide exſcripta ad te detino: cui dignas rependere grates haud opis ſit noſtræ, quod veſtro indicio

Digitized by Google

dicio contigent me ſacrum tanti Martyris corpus venerari præſentem, cuius viſendi gratia Carthaginem lubens perrexiſſem. Hactenus Haius.

COLVMBANVS

Gandaui.

QVARTO nonas Februarij anno nongenteſimo quinquageſimo ſeptimo, recluſio Columbani Abbatis Hibernienſis, viri ſanctiſſimi, in Cœmeterio Gandenſis Cœnobij vbi poſt biennium obijt & in criipta B. Mariæ ante altare B. Andreæ ſub arcu lapideo requieſcit. Obitus in libris rubeæ vallis notatur decimo quinto Kalendis martij Ita Molanus ex Chronico cœnobij Gandenſis. Fit & Columbani mentio in Catalogo Sanctorum Hiberniæ, quem P. Henricus FitzSimon Societatis Ieſu Theologus, natione Hibernus contexuit ſane luculentum, ac illuſtrium Sanctorum nominibus ſplendidum & abundantem. 2. *Feb.*

CONDEDVS MONACHVS

In Blandinio.

DE Condedo in hiſtoria Eccleſiaſtica narrat Gulielmus Gazæus in ſanctis diœceſios Gandauenſis, fuiſſe Anglum natione ac Religioſum Monaſterij Fontanellenſis ſub Abbate ſancto Lamberto. Reliquias eius è Bononia cum S. Wulfrannij & aliorum delatas ad D. Petri Abbatiam in monte Blandinio ſitam. In quo celebris eiuſdem etiam diui olim fuit memoria.

H CHRYSO-

Digitized by Google

CHRYSOLIVS EPISCOPVS

Cominij.

7. Feb. VENIT in Belgicam prædicandi Euangelij cauſſa cum ſanctis Piato & Euberto. Quieſcit Cominij apud Flandros in Canonicorum D. Virginis templo: vnde pars oſſium tranſlata eſt Brugas ad cathedralē S. Donatiani baſilicā. Eſt autē Cominiū Flandriæ municipium cum arce eximia ad Liſiam fluuium ſitum patria Philippi Cominæi laudatiſſimi Hiſtoriographi. Fuit miſſus ad Flandros Chryſolius à Marcello Papa tempore Diocletiani. Eleuatio corporis eius Cominij facta eſt per S. Eligium Tornacenſem Epiſcopum: Plura de præclaris viri laudibus lege apud cognatum in hiſtoria Tornacenſi.

CHRISTIANVS CONFESSOR

Duaci apud S. Albinum.

DVACI in Eccleſia Parœciali D. Albini celebris eſt eius memoria: vbi & de reliquijs eiuſdem ſancti adſeruari quædam nuper Georgius Coluenerius Regius in eadem Academia ſacrarum litterarum Profeſſor, & in collegiata ibidem S. Petri Eccleſia præpoſitus nobis indicauit. Vnde aduenerint, & quæ viri patria hactenus incompertum. Eius quoque Molanus in natalibus, & Miræus haud meminerunt. Natione Belgam & indigenam forte Duacenſem fuiſſe hinc quiſpiam ſuſpicari poſſit, quod Christiani nomen familiarius noſtri quam alieni ſoli hominibus eſſe videamus.

Digitized by Google

CHRISTIANA VIRGO

Teneramondæ.

IN ciuitate Teneramonda ſacræ eius cum B. Hilduardo ſeruantur reliquiæ. Hanc Regis anglorum Migranimi filiam vnicam omnipotens Deus reſpiciens, de cœlo illi Angelum ſub ſpecie pauperis tranſmiſit, qui eam catechiſaret, atque in Chriſti nomine baptizari præcepit. Cuius etiam ductu Dickeluennam Flandriæ pagum peruenit, quo in loco ſanctiſſimam vitam exegit. Vnde ad vicinam ciuitatem Teneramondam tranſlata eſt. Feſtum natalis eius eſt die vigeſimo ſexto Iulij: tranſlationis ſeptimo Septembris. Lectionum autem Teneramondenſis Eccleſiæ, in qua quieſcit hæc eſt ſumma. Ad Chriſti agnitionem cumpuncta eſt cum quendam audiuiſſet in Chriſti nomine eleemoſynam petere, voluitque etiam ſufficienter cathechiſata à Chriſto Chriſtiana dici. Cumque virginitatem profiteretur, Aurelium ducem procum ſuum, ad Chriſti fidem adtraxit, & in Eccleſia Dickeluennæ conſtituta cum Sanctimonialium ſecum congregata cateruula Deo piiſſimè ſeruiuit. Hanc vero famulam ſuam mirabilibus ſignis mirificauit is qui in Euangelio dicit: Qui credit in me opera, quæ ego facio & ipſe faciet. Ita Molanus ex officio Eccleſiæ Teneramondenſis. Plura apud Lindanum vide in deſcriptione eiuſdem vrbis. 26. Iul.

Digitized by Google

in Catecheſibus, legitur inquit Miræus in faſtis, in tabulis Martyrologij Romani 9. Nouembris: *Beryti in Syria commemoratio imaginis Saluatoris, quæ à Iudæis crucifixa tam copioſum emiſit ſanguinem, vt Orientales, & Occidentales Eccleſiæ ex eo vbertim acceperint.* Putant autem nonnulli, Cruorem qui Brugis adſeruatur, ex iſta Berytenſi, aut alia Orientali imagine profluxiſſe. Aliter firmiter aſſerunt, panniculos iſtos ſaltem hic eſſe, quibus mortuum Chriſti corpus, plagis liuidum, ab ijs quibus ſepelire iſtud curæ fuit, lotum eſt.

DOMMELINVS

Thorolti.

PResbyter fuit Thoroltanus religioſiſſimæ vitæ vir, hic inſtante B. Bauonis obitus die, vt in vita eiuſdem narratur, ab Angelo monitus, ac Torolto Gandauum ductus fuit, ægro Bauoni venerabilem Euchariſtiam præbuit, ac morienti adſtitit. leguntur & hæc verba ſecundâ die infra octauam ſancti Bauonis lectio. quarta in Officio Sanctorum Eccleſiæ Gandauenſis. Cumque etiam Domlini Presbyteri Toroltenſis viri religioſiſſimi & familiaris quondam ſui præſentiam in extremis optaret, vt ab eo præſertim ſicut conſueuerat ante ſacræ Euchariſtiæ viaticum acciperet, mox ille ad eum per vaſtas ſolitudines Angelo Ducatum præſtante peruenit. 1. Octob.

DONATIANVS

Brugis.

14. *Oct.* DONATIANVS, ab anno 361. ſedit in Remenſi Cathedra vſque ad annum trecenteſimum nonageſimum. Sacrum eius corpus quieuit Remis in Eccleſia S. Agricolæ vſque ad annum octingenteſimum triceſimum octauum, quo illud Ebo Archiepiſcopus Remenſis ad Flandriæ Comitem Balduinum Ferreum tranſmiſit. Is Brugis in Baſilica S. Mariæ, nunc S. Donatiani dicta collocauit, quam Paulus Quartus Papa anno 1559. in Cathedralem erexit. Tranſlationis autem à Remenſi in Brugenſem vrbem hæc teſte Molano, occaſio fuit. Cum Normanni & Dani tertio Flandriam ferro & igni vaſtaſſent. Balduinus Ferreus Iudithiam Caroli Calui filiam rapuerat & vxorem duxerat, ſed pace compoſita, per Nicolaum Primum & Ebonem Remenſem Epiſcopum dotis nomine accepit totam regionem Scalde, Somona & Oceano terminatam: dictuſque eſt Comes regni Francorum & Marchio Flandriæ, eo potiſſimum nomine, vt aduerſus omnem Aquilonis barbariæ, perpetuus foret regni Francorum propugnator. Ebo quoque pacis Flandricæ confirmandæ cauſſa, & vt feroces gentis animi, cultu religionis miteſcerent, ſancti Donatiani corpus Balduino Comiti in Flandriam miſit, additis huiuſcemodi litteris: *Ego Ebo indignus Remorum Archiepiſcopus hunc theſaurum ſuper gemmas & aurum pretioſum, tibi glorioſiſſime Marchio Balduine noſtrorum conſilio Clericorum tranſmitto; Donatianum ſcilicet Septimum noſtræ Sedis Epiſcopum, miræ ſanctitatis virum, pium exauditorem, & promptiſſimum apud Deum interceſſorem, tam ſæcularibus anguſtijs*

anguſtijs occupatis, quam peccatorum ſceleribus detentis, quod noſtris & Anteceſſorum noſtrorum temporibus ſatis comprobatum eſt. Eius Sanctiſque Remigij ac innumerabilium Sanctorum vita ſcripta, Wandalorum vaſtatione ſcias eſſe deleta. Hunc atteſtatione diuinâ tuæ fidei committo, quatenus eum diuino ſeruitio, in quantum vales, honorifices & ſæcularibus dites. Vale dilectiſſime in Domino.

DVNSTANVS

Cantuarienſis in Anglia Archiepiſcopus. Exul apud Gandenſes.

GLaſconienſe Monaſterium præter alia fundauit & Abbas rexit Archiepiſcopus Cantuarienſis exinde creatus, & ab Eduino rege in exilium pulſus, Gandaui diu vixit. Eduino defuncto cùm eſſet in Angliam reuocatus anno 988. & ipſe viuere deſiit. Cauſam exilij narrat è Surio Molanus, quòd cum eſſet Abbas in Monaſterio quod Glaſconiæ conſtruxerat, ex præcepto Summi Pontificis Eduinum regem ſuum, cum Ducibus impudicè & pertinaciter viuentem, aſperè increparet. Vnde & Monaſterium direptum eſt. Plura vide apud Surium in vitæ hiſtoria, vel apud Molanum in natalibus. *19. Maij*

DVLCIA MESSINENSIS.

EIus meminit Iacobus Marchantius in ſua Flandriæ deſcriptione. Etſi nihil de ea vel Molanus in natalibus, vel in faſtis ſuis referat Miræus. Quod non adeò mirum, cùm non omnia vnius & alterius hominis oculi videre poſſunt. Ad Marchantium itaque te remitto.

ELEV-

ELEVTHERIVS EPISCOPVS *Tornacenſis.*

20. Feb. PRimus Neruiorum ſeu Tornacenſium Epiſcopus, de quo ſaltem conſtet certo, fuit ſuperior, qui Sardicenſi & Agrippinenſi Concilio interfuit. Superiorem ſecutus eſt Theodorus, qui Blandinij haud procul à Tornaco reſedit. Theodorum excepit ſanctus Eleutherius nobili familiâ Tornaci natus, qui annis amplius quadraginta laudatiſſimè præfuit, & circa annum 523. in Domino obdormiuit. Res ab eo geſtas ſcripſerunt Henricus Gandauenſis ex Doctore Sorbonico Canonicus Tornacenſis, & Guibertus Tornacenſis ex Ordine Minorum Doctor Theologus, ex quibus & aliis mſc. monumentis eiuſdem vitæ hiſtoriam Dionyſius Villerius Cancellarius Tornacenſis concinnauit, & Duaci anno 1591. cum officiis proprius ſanctorum Patronorum Tornacenſis Eccleſiæ publicauit. Plura de Eleutherio apud Molanum & Ioannem Cognatum vide in hiſtoria Tornacenſi.

EVSTATIVS BAVDELOANVS.

INter primos ſocios Balduini de Bocla fuit, qui Cœnobij Bodelonenſis extitit fundator, circa annum Domini 1197. vt antè in vita eius diximus. Vir fuit Euſtacius eximiæ Religionis, quod manuſcripta eiuſdem Monaſterij monumenta teſtantur.

ELIGIVS EPISCOPVS
Tornaci.

ELIGIVS genere Lemouix Catalari Eucherio ac Terrigia parentibus natus artem aurifabrorum didicit, in qua adeo excelluit vt à Clotario Secundo in aulam aſcitus fuerit, apud quem eiuſque filium Dagobertum ac Clodouæum nepotem, ob vitæ morumque ſanctitatem gratiſſimus exſtitit. Mortuo Achario in Epiſcopum Nouiomenſem & Tornacenſem anno 646. electus eſt. Hunc Flandri & Antuerpienſes iure optimo vt Apoſtolũ ſuum præcipuo honore venerantur. Cortraci, Aldeburgi, Rodenburgi, Oiſtburgi, Brugis & alibi aras ac templa Deo conſecrauit. Feretra ſeu capſas ſanctorum auro ac gemmis exornauit, ac demum anno 660. deceſſit Nouiomi in Cathedrali Baſilica conditus; vbi in hunc vſque diem miraculis coruſcat, pars reliquiarum eius poſteaBrugas ad templum ſancti Saluatoris eſt tranſlata. Vitam eius ſcripſit S. Audoenus Archiepiſcopus Rotomagenſis coætaneus & Amicus, quam Surius publicauit. Is de Eligio inter alia hæc lib.2.cap.3. In Flandris multum laborauit: iugi inſtantiâ Audouerpis decertauit. Paſtoris curâ ſollicitus luſtrabat vrbes & municipia circumquaque ſibi commiſſa fama deſtruxit, Idola quoque diuerſi generis vbicumque inuenit funditus ſubruit, &c. *Dec.*

corum S. Petri Eccleſia, quam Balduinus cognomento Inſulanus Flandriæ Comes anno 1066. fundauit. Coliturq; non ſolùm Inſulis ſed etiam Seclinij. Plura vide apud Ioannem Cognatum in Hiſtoria Tornacenſi, & Molanum in natalibus hac die. Fuit & Eubertus quidam Canonicus apud Bellocaſſios magnâ ſanctitatis opinione, nam quotannis octiduanæ feriæ inſtitutæ ſunt, à Kal. ſcilicet Februarij vſque in ſeptimum ante idus diem cuiuſque tabulam magno cum accolarum confluxu ſupplicationibus durantibus conſueuit clerus totam geſtare per vrbem, ait Hard. qui & eum inter Sanctos Flandriæ recenſet.

EVSEBIA MARCHIANENSIS.

MAter illi fuit S. Rictrudis Abbatiſſa & fundatrix Marchianenſis. Succeſſit proauiæ ſuæ in regimine monaſterij Hamaticenſis D. Gertrudi vbi & obijt, terræ mandata à S. Amato Epiſcopo Senonenſi, quem eo in loco S. Mauróntus Euſebiæ frater, exulantem fouebat. Quieſcit Marchianis in feretro argenteo admodum pretioſo. Hamaticum porrò olim virginum cœnobium, ad Scarpum flumem ſecundo lapide à Duaco, nunc eſt Prioratus Monachorum Benedictinorum Abbatiæ Marchianenſis. 16. Mar.

EMILION EPISCOPVS MARTYR

Tornaci.

ALio etiam nomine vocatur Ennion & XXV. ponitur à Gazæo in hiſtoria Eccleſiaſtica Tornacenſis Epiſcopus electus circa annum Domini 850. Flodoardus eum vocat Immonem, & interfuiſſe dicitur ab eo Synodo

Sueſſionenſi ſub Archiepiſcopo Hincmaro Remenſi anno 853. ſub hoc Carolus Caluus multa dedit Eccleſiæ Tornacenſi, & confirmauit donationes childerici aliorumque ſuorum Anteceſſorum ad inſtantiam huius Epiſcopi, qui à Normannis capto Tornaco ante porticũ Eccleſiæ anno 860 crudeliter fuit interemptus.

FLORBERTVS ABBAS

In Blandinio iuxta Gandauum.

1.*Non.* A Sancto Amando primus Cœnobij Blandinienſis Abbas, atque etiam Gandenſis quod ſancti Bauonis nuncupatur amotis clericis, qui liberiorem iſtic vitam ducebant conſtitutus eſt, anno poſt Chriſti natalem ſexcenteſimo decimo octauo, de eo ſic monumenta Cœnobij, & Chronicon Gandenſe S. Florbertus primus Abbas Blandinienſis, hunc B. Amandus Elnonem proficiſcens anno 618. Blandinienſi & Gandenſi præfecit monaſterio, ab hoc S. Leuinus Archiepiſcopus Scotiæ 633. comiter ac benignè ſuſceptus eſt & ad D. Bauonis ſepulchrum, qui 630. in viuis eſſe deſierat, per dies triginta ſacris operatus eſt, Florbertij ſepultus iacuit in Eccleſia Principis Apoſtolorum in Blandinio annis 338. donec in elegantiorem formam ædificatio monaſterio per Aldalberonem Remorum Archipræſulem eius ſancta corporis membra transferentur, & in ſecretiore eiuſdem baſilicæ parte ponerentur 975. anno verò 1049. à Balduino Nouiomenſi ſeu Tornacenſi Epiſcopo facta fuit eleuatio eiuſdem Florberti, tametſi eam quorundam inuidia conaretur impedire. Ita Monumenta. Vide plura apud Miræum in faſtis.

FLEDE-

Digitized by Google

FLEDERICVS CONFESSOR

Vliderzele in Territorio Aloſtano.

NAtione Franciſcus parentibus Chriſtianis natus Paſtoris ſeu Parochi munus obijt Vliderzelę apud Flādros in agro Aloſtano, quod profeſſus eſt in baptiſmo, ait Molanus, ab ineunte ætate obſeruauit litterarum ac virtutum ſtudio adoleſcentiam inſumpſit, in Sacerdotum ordinem aſtitus, vbi Paſtor fuit pietatem & ſnam doctrinam ſubditis inſtillauit. Fertur autem primitias ſacerdotij celebrans obtinuiſſe ranarum eum turbantium ſilentium. Feſtos dies incipiebat pridie ab hora duodecima (quod etiam à Scotis obſeruari à Sabbati meridie auctor eſt Hector Deydonanus) inter alias virtutes multum ſtuduit pacificandis diſcordibus. Cum autem ad ſenectam bonam perueniſſet, virtutibus & miraculis clarus, ſpiritum ſuum quem pro grege & pro eccleſia laboribus exhauſerat, Deo lætus reddidit. In honorem eius officium iſtic dicitur in altari nomini eius ſacro miſſa & annua ſupplicatio celebratur. 13. Sept.

FLANDRI MARTYRES

Olyſſippone.

ANno 1147. naualis Dei exercitus ex Anglia, Flandria, atque Lotharingia collectus 11. Idus Aprilis de Tredemunde portu Angliç cum ducentis fere nauibus profectus 1v. Kal. Iulij in vigilia Apoſtolorum Vlixibonam applicuit: & eam poſt quatuor menſium obſidionem per multas cædes, & multam macerationem, Dei 18 Oct.

virtute, & ſua induſtria capiunt, & cum de ipſis tantum eſſent tredecim millia, hoſtium ducenta millia ſuperantes ingreſſi, cum hymnis Eccleſiam dedicantes, Epiſcopum ibi & clericos ordinauerunt, ad corpora ibi occiſorum tres muti recuperauerunt loquendi vſum. Anno 1184. Rex Anglorum Henricus acquiſiuit ſororem Regis Portugalenſis, ad hoc vt fieret vxor Comitis Flandrenſis. Venit ergo ad Comitem Flandrenſem in abundantia auri & argenti huius pater licet grandæuus adhuc viuit, qui adiutus ab Anglis & Normannis in iuuentute ſua Agarenis eripuit vlixibonam, quam vulgariter vocant Liſſebone. Ad quam tranſtulit è Valentia corpus B. Vincentij Leuitæ & Martyris, vt quidam dicunt & fecit eandem ciuitatem, cui ſubdidit ſex alias ciuitates quas acquiſierat. Ita Robertus Abbas montis S. Michaelis in diœceſi Abrincenſi (inquit in faſtis Miræus) apud Aremoricos, in ſuo Chronico, quod Sigebertinum excipit. His conſonat quæ Antonius Vaſconcellius Societatis Ieſu Theol. in hiſtoria Luſitaniæ narrat, piè inquit & religioſè pro martyribus coluntur Olyſipone (vt re ipſa haberi debent ex S. Thomæ Angelici doctrina) illuſtres illi Equites Germani, Flandri, Galli, Angli, ac Luſitani quorum reliquiæ in Deiparæ templo adſeruantur, quod dicitur, ex diuorum memoria, S. Mariæ à martyribus vitam præſtantes illi viri amiſère in Olyſiponenſi expugnatione, quando non tam imperij acquirendi cauſſa, quam ſtudio vrbis liberandæ, & Chriſto iterum lucrandæ, arma in Mauros ſumpſere, vrbemque ſuo emptam ſanguine Chriſtianæ pietati reddidere.

FVLCO.

FVLCO VTENHOVIVS
Gandaui.

VIr integræ conuerſationis fuit, Canonicus inſulenſis Gandaui natus, maximaque ex parte auctor Hoſpitalis illius, quod Biloka nominatur, ei ante obitum Deipara apparuit. Vide plura apud Cantipratanum in libro Apum, ſepultus eſt in eodem Hoſpitali à ſe Gandaui excitato, quod ante nuperam iconoclaſtiam monumentum adhuc viſum, nunc hæreticorum furore, & veteris templi excidio obliteratum eſt.

GRIMBALDVS ABBAS
Tornacenſis.

NAtus eſt Tornaci Neruiorum, vel vt alij volunt, Terouanæ Morinorum. Grandior factus monachis Benedictinis Audomaropoli ad S. Bertinum ſe adiunxit. In Angliam profectus, ab Alfredo Weſt-Saxonum Rege Wintoniæ in nouo monaſterio Hidenſi Abbas eſt conſtitutus; vbi & obijt. Vitam eius ſcripſit Gotzelinus monachus Bertinienſis à S. Anſelmo Archiepiſcopo Cantuariam ad S. Auguſtini cœnobium euocatus: quo in loco non ſolum Grimbaldi, ſed & vitas SS. Auguſtini, Laurentij, Suithuni, Erkenwaldi, Iuonis, Eadgitæ Milburgæ & Witeburgæ deſcripſit. 8. *Iulij.*

GVAL-

GVALTERVS

Epiſcopus Pictauorum Brugenſis.

22. Ian. NAtus eſt Brugis in Flandria, & ex Doctore Theologo ac Miniſtro Prouinciæ Turonenſis Franciſcana, creatus eſt Pictauorum Epiſcopus, vel inuitus. Multis claret miraculis, præcipuè à quartana liberans; vt ſanctus Antoninus parte 3. Tit. 4. cap. 9. loquitur. De eodem agit Meyerus in Flandriæ Annalibus lib. 11. ad annum 1293. & nos in libro de Brugenſibus eruditionis famâ claris.

GERVLPHVS MARTYR

In Trunchinio.

21. Sept. MErendræ ſecundo lapide à Gandauo natus, illam ipſam ſui iuris villam Truncinienſi monaſterio dedit, in quo & ſepeliri voluit, cum ab immani parricida letale vulnus accepiſſet. Vixit temporibus Eliſei Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopi, qui in Eccleſia Blandimenſi eum in fide inſtruxit ac confirmauit, circa annum Domini 760. Vitam hic eius è mſc. Trunchinienſi codice damus.

Paſſio S. Gerulphi Martyris.

CReator rerum Deus omnia ſapienter condens, diuerſis cœlum depinxit ſyderibus claritate differentibus, atque terram variis Sanctorum decorauit claris luminaribus. Et quidem vt ſtellæ in cœlo ſolis lumine illuminantur,

minantur, ita Sancti in terra à Chriſto vero ſole illuſtrantur diffundentes paſſim per orbem miraculorum ſuorum claritatem. Ex quorum numero ſanctum martyrem Gerulphum diuino lumine fulgidum, ac virtutum ſignis coruſcum, cum aliis innumerabilibus Dei electis gaudens amplectitur Francia iuxta maris Oceani quieſcentem littora proſpicua in populis oſtendentem ſanitatum mirabilia. Cuiuſque beata Origo noſcitur in pago extitiſſe Menxiſco.

Fuit ergo ſanctus Gerulphus iuxta ſæculi dignitatem parentibus inclitis oriundus, quam nobilitatem dum noſtro vſu vixit in ſæculo caſtis conſeruauit & decorauit moribus. Non ignotis autem parentibus hic editus eſt infans, quia eius genitor Leatuuoldus nomine, genitrix verò Rathuuara dicta eſt. Fœlices vtiq; ambo quibus conceſſum eſt diuinitus talem tantamq; generare prolem in hoc mundo, habitatio verò illorum in præfato extitit pago in Iuris ſui villa nomine Merendra, vbi eſt natus eorum beatus infans; iam tunc dilectus Deo Gerulphus, ibique ſacri baptiſmatis fonte renatus & honorifice alitus eſt.

Tantus ergo eum ætate puerili Dei amor accendit, vt domi ſedens vel foris ambulans, nihil aliud videbatur meditari quam id quomodo placere valeret Creatori & Redemptori. Sacerdotes etiam ac Dei miniſtros toto cordis deſiderio diligens, Monaſteria & Eccleſias Sanctorum circuibat, & erga diuinum cultum corpore & animo ſemper intentus erat, qui cum talibus & aliis Deo dignis polleret actibus, atque ſacro Chriſmate ab Epiſcopo mundum eſſet, delibutus venit quâdam die ad Monaſterium quod vocatur Blandinium in Gandauo, à ſancto vt fertur conſtructum Amando: vbi Nouiomenſis Eccleſiæ Epiſcopus Heliſæus tunc temporis venerat, acturus ibi

quæ Dei erant obſequia. Cumque ibidem vt cæteri ab eodem Epiſcopo ſacri Chriſmatis vnctione fuiſſet inſignitus gaudens cæpit cum ſuo patrino regredi ad genitoris domum.

Cùm autem appropinquarent venerabili Monaſterio quod dicitur Truncinias, iuxta Limpham legiam, iſdem bonæ indolis puer ſupplici precatu rogauit patrinum ſuum quo orationis cauſa declinarent in ſanctæ Dei genitricis Mariæ oratorium, & poſt, cibo refocillati ac potu ceptum carperent iter. Audierat enim euangelium ſic adhortans. Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & omnia bona miniſtrabuntur vobis. Quo audito eius patrinus, non tantum charitate quantum corporis coactus egit neceſſitate. Surgentes autem à refectione equis aſcenſis, concito gradu pergebant vnde venerant. Pergentes igitur pariter duo, completum eſt quod legitur in Pſalmo: Cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris. Diaboli enim illectus ſuggeſtione: ac lætifero veneno inuidiæ mentem debriatus, eius quaſi non patrinus iam ſed nequiſſimus lariſta, peſſimuſque homicida benigno ait filiolo: Scito filiole pro certo, quia interibis mox meo gladio. Vox iſta non fuit hominis, verum diaboli intus loquentis. Qui verò in ſerpente locutus eſt prothoplaſto, ille ipſe per iſtum miſerum & miſerabilem locutus probatur filiolo. Quid ergo ſimplex humiliſque dixit filiolus patrino: Sine ſine inquit pater bone, vt ne tam nefariam rem perpetres in me. Me quidem leuiter velles interimere, at grauiter peccabis coram communi Patre noſtro. Parce parce autem mihi, & conſule tibi. Si enim quod facis egeris, mihi quidem vt credo indigno Chriſtus miſericorditer coronam patientiæ reddet in cœlis, tibi verò gehennam ſupplicij in æternum permanentis.

tis. Hæc prorſus innocentis pueri monita ſalutis flocci-pendens ille crudelis patrinus, qui parturierat iniuſtitiam, & conceperat dolorem, & pepererat in corde iniquitatem; in ſe abſtracto percutiens trucidauit eum, procidítque ſtatim in terram de caballo: non tamen citò mortuus, ſed victurus in hoc ſæculo tempore exiguo, vt authorem mortis ſuæ detegeret, quia diuina clementia nolebat aliquem ſuſpectum eius cæde falſo crimine inculpari. Quo ergo iacente, in ſolo, ſemiuiuo, equus eius ſine humano ſeſſore rediit domum in qua ſolitus erat ſtare. Cumque iam ſupradicti mater pia adoleſcentis, vidiſſet equum cruentatum ſanguine, intellexit quoque diuino inſtinctu illico filium ab eius patrino interfectum. Continuò fit ingens luctus patre & matre filium lamentantibus gemens perſtrepit omnis familia magniſque dolentium clamor ſurgit ad æthera. Tandem aliquando compreſſo paululum plangentium tumultu pater cum familia virile carpit iter quærendi filium. Cumque præ noctis obſcuritate nequirent peruenire quo corpuſculum ſeminecis iacebat adoleſcentis; ductu tandem equi quem iſdem equitauerat iuuenis, peruenerunt illo vbi eum penè iam mortuum repererunt. In huius ergo ſceleroſi homicidæ facto primi fratricidæ Cain inuidiam aduerto, ſicut enim Cain & Abel fratres dicuntur carnaliter, ſic & iſti fratres ſpiritualiter. Sicut etiam iuſtus Abel nihil mali vel verbi vel operis legitur egiſſe Cain fratri; ita nec ſanctus Gerulphus hic nil læſit ſuo ſpirituali patri. Cain itaque inuidia peremptus eſt Abel; & huius inuidioſa malitia occidit Gerulphum innocentem. Inuidia enim diaboli mors introiuit in orbem terrarum, quæ & de paradiſi fœlicitate eiecit prothoplaſtum, & Cain cum iſto homicida extorris eſt cœleſti beatitudine. Enimuero iſtius

carnificis iniquitas peior fore perſpicitur, quia eius pœnitentia non auditur, Cain verò pœnitudo in Geneſeos legitur libro. At iſtis ommiſſis perſequar cætera.

Narrauit ſiquidem prout valuit ſanctus martyr Gerulphus patri ſuo ſe à patrino neci traditum: ſimulque poſtulans vt corpuſculum ſuum Truncinias Monaſterium humandum ferri iuberet, ac pro ſuæ animæ redemptione allodium iuris ſui ſanctæ Mariæ altario traderet, atque caballum ſuum clericis ibidem Deo ſeruientibus daret. Cumque hæc verba moriens ederet munitus corpore Chriſti & ſanguine relicta pœna lachrymarum valle animam ſanctam in manibus Angelorum efflauit, oranſq; aſcendit in æthera conuinctus ſanctorum numeroſitate Martyrum, cum quibus fruitur cœleſtium claritate virtutum, exultans & laudans Regem Angelorum, qui ei dignatus eſt concedere eorum glorioſam ſocietatem. Diſceſſit autem glorioſus Domini teſtis vndecimo Kalend. Octob.

Genitor itaque præfati martyris Gerulphi, ob cupiditatem vana labentis ſæculi retinuit prædium, quod iuſſerat tradere ſanctæ Mariæ, & filij ſui venerandum corpuſculum ad ſuum deuehi fecit domicilium; ibique in S. Radegundis baſilica ſepeliuit, vbi etiam Dei omnipotentis operante clementia, multi diuerſa receperunt ſanitatum remedia, qui cum fide integra & mente ſincera eius expetierunt beneficia. Cæci lumen receperunt, ſurdi auditum, & muti loquelæ officium, claudi dæmoniaci quoque, optatam receperunt liberationem, & quicumque grauati variis infirmitatum incommodis, ibi oratum conuenientes receſſerunt ablatis doloribus incolumes. Candelæ namque perſæpè ſine materiali igne ibidem ſunt illuminatæ, per quam cauſam vera lux Chriſtus

oſten-

Digitized by Google

oſtendebat quod eum in lucidis manſionibus retineat repoſitum, & quod venerari palam oporteret à populo quem illuminatione cereorũ clarificaret verus ſol iuſtitię Chriſtus. Ante igitur quam à præſule Pangario qui ſeptimus ab Heliſæo Epiſcopus exſtitit, hæc mirabilia fuiſſent audita, inuidia cæcati diabolica, tres clerici ex ſancti Confeſſoris Bauonis monaſterio, & furore, debriati nimio euntes illo manſoleum corporis ſanctiſſimi Martyris Chriſti, quod diuina & ineffabilis pietas ex defoſſa humo in ſublime leuauerat, multo profundius quam antea fuerat terræ ſtuduerunt reponere. O nefanda quid agis inuidia? Omne quod diligit Creator precipitare integris in ima: in motu ipſa laberis, & numquam aſcendens quæ cunctis ſuades cadere. Tu enim noſtris in paradyſo parentibus proditionis foueam paraſti, tu & iſtis clericis ſuaſiſti abſcondere theſaurum, quem patefacere volebant prouidentia Creatoris vniuerſorum. Paruerunt quidem tuæ nequam ſuggeſtioni, parauerunt autem ſibi confuſionem perpetui opprobrij. Talis eſt ergo tua maligna promiſſio, quæ homines tibi parentes in lacum pertrahit infernalem, & in præſenti tribuit dolorem & verecundiam, ſicut his infelicibus quorum nunc mentionem facio.

Hoc vero tam innane flagitium non permiſit rex ſupremus Ieſus Chriſtus manere inultum, nam vnus eorũ oculum dexterum amiſit quia noluit iuſtum videre glorioſum. Alius autem de equo ruens, coxa fracta ad domum cum magno dolore relatus eſt ſuam, quam inuidebat cum alijs Sanctum inuiſere locum. Tertius eorum aſtantibus alijs & cernentibus omnia interiora corporis ſui, in opprobrium ſuum emittens verecundus abceſſit, quia ſancti viri corpus cunctis aromatibus redo-

 lens

lens ſuauius, velut exterorum infelicium hominum eſtimauit corpora putentia. Hoc omnino intuitu impudentes vti reor egerunt ne ſui ſenioris ſancti ſcilicet Bauonis locus & honor decreſceret ac ſancti Gerulphi Martyris, cui vt amentes inuidebant gloria, creſcendo indies augeretur. Stulti etenim & tardi corde ad credendum non intelligebant quod ipſi duo vt omnes ſancti nec inuidi nec diſcordes ſint, cum Deo ſint pro meritis iuſtis; qui eſt vera pax, & fecit vtramque vnum in charitate, copulati: qui viuunt cum eo in vnitate dilectionis ſine fine eius potentes inæſtimabili claritate in cœlis. Poſt multum itaque tempus cum Dominus omnipotens qui de cœlo reſpicit ſuper filios hominum, vidit etiam benigne intuitu chariſſimum ſibi Martyrem Gerulphum latenter in ſepulchro iacere, & miſericorditer volens tandem aliquando mortalibus pandere quanti apud ſe foret meriti huiuſmodi indicijs patefecit. Diuina ſiquidem promulgāte clementia præfatus Chriſti Martyr Gerulphus, eiuſdem loci, in viſu noctis, Presbytero Lamberto apparuit multis vicibus, admonens vt eum ab illo leuaret loco in quo corpus eius humatum inhoneſte fuerat à prauis hominibus ſuadente humano generis inimico, ac deferret ad iam dictum Truncinias monaſterium, quo viuus ſe rogauit deferri ac ſepeliri. Qui iuſſa vilipendens, diu multumque obedire diſtulit. Iterum autem iterumque admonitus à Sancto iamque non audens differre quin nuntiaret, ſuggeſſit humiliter didaſculo ſuo, nomine Gonthero Sacerdoti, qualiter ei Sanctus dignatus ſit apparere quidue præceperat agere de ſuo digniſſimo corpore, & quod non ſemel aut bis verum multoties apparuerit paruitati ſuæ. Gontherus vero Dei Sacerdos gauiſus oppido ſuper tali mirabili narratio-

ne

ne gratiarum actiones retulit ex toto animo omnipotenti Domino. Et indicto ſuis parochianis ieiunio triduano monuit omnes vt miſericordiam precarentur Creatoris omnium quo præcepta ſui Martyris valeret dignè ac rectè peragere.

Cum conſilio igitur & benedictione ſui Epiſcopi venerabilis Gerardi venit aſſumptis ſecum quam plurimis ſacerdotibus & clericis turbaque promiſcui ſexus haud modica ad baſilicam ſanctæ Radegundis, quo vt dixi humatum fuerat ſanctum corpus contra ſuam pro certo voluntatem, & inde pretioſum leuantes theſaurum, cum magna, ceu dignum erat reuerentia, pſallentes Dominumque laudantes ad Monaſterium detulerunt Frunciniás, & in ſanctæ Dei Genitricis Mariæ baſilica venerabiliter condiderunt, cum ingenti triumpho gratias agentes & benedicentes Domino, qui ei dignatus eſt largiri talem tantumque Patronum. Sanctus etenim Gerulphus hunc viuens dilexit locum, ideoque patrem moriens flagitarat illo ſe deferri, cui ſua cupiditas nocuit ne impleret votum rogantis benigni filij. Vt reor autem nequaquam exſtitit dignus, iſtud ſanctum agere opus quod alio digniori ſeruabatur agendum. Pater ergo nimia cupiditate retinendi prædij diſtulit omnino opere implere quod rogatus eſt à pia prole: Presbyter verò gratanter perfecit, quod hortatus eſt à confratre. Pater vtique vterque nequam carnalis ſcilicet & ſpiritualis: quia vnus eorum interemit, alter ſepulturam tulit, quam inſpirante Saluatore concupiuit. In eundem itaque locum vbi primum beatum quieuerat corpus, veniens quidam contractus membris omnibus præcipuoque pedibus, cum pro ſanitate diu oraret omnipotentis miſericordiam, & ſancti eius Gerulphi omni cordis inſtantia precaretur

antido-

antidotum; diuina ei ſubuenit pietas & reddita eſt quam quæſiuit hoſpitas orante ſancto Martyre. Sanctorum nempe Petri & Ioannis Apoſtolorum opus mirabile intueor in huius claudi recuperatione; qui ad Hieroſolymitani ianuam templi multis diebus iacentem curauerunt & erexerunt claudum nonnullis intuentibus. Diſtantiam autem quandam in his duobus animaduerto contractis; quia ille vt Iudæus corporalem victus quærebat ſubſtantiam, iſte ceu Chriſtianus atque corporalem ſed & membrorum rogabat reſtitutionem. Ille quippe pro ventris guloſitate aduenientes inquietabat, iſte non in ſepulchro iacentem, ſed cum Chriſto regnantem cum lachrymis exorabat. Adhuc etiam in his duobus aliquid altius intueri libet. Iudæi enim claudicatione ſuæ gentis populum prædicabat in Domini lege non rectè gradientem, neque firmo greſſu eum ſequi cupientem qui dixit: Ego ſum via; qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Chriſtiani verò contractio & claudicatio populũ baptiſmate Chriſti renatum ſignificatione, qui adhęſis ſenſibus corporis & animæ ſęculi huius cupiditatibus voluit mentis auditu percipere: Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. Claudi quoque ſunt, qui Eccleſias Dei non frequentant, infirmos & in carcere poſitos non viſitant, aliaque opera non rectis ſed fictis greſſibus agere ſegniter videntur. Iamque redeam ceptum proſequi opus.

Alio ſiquidem tempore quidam dęmoniacus ad præfati Gerulphi martyris memoriam, nomine Otfridus adueniens, Deo opitulante ac ſancto Martyre interueniente maligno eiecto dæmone reuerſus eſt domum de ſua gaudens integra ſanitate. Cùm ergo nobis dominetur dæmonium princeps, de quo ait Dominus: Venit

nit

nit princeps huius mundi, & in me nihil ſuum inuenit. totiſque niſibus corporis & animæ quæramus prius ſanctiſſimi martyris Chriſti, & tunc cęterorum omnium Sanctorum propitia adminicula. Imitemur patientiæ eorum exempla, humilitatis charitatiſque documenta, & ſic cum Domini noſtri Ieſu Chriſti & ſanctæ Mariæ auxilio valebimus ad eorum peruenire conſortium. Hoſtis namque humani generis aſſiduâ rebellione contra filios Adæ pugnat. Maximeque in eos ſeuit quos aliquid boni agere cernit. Reuocare enim nititur omnes Chriſtianos à Sanctorum patria & vitæ paradiſo, ex qua noſtros expulit parentes inuidiæ cauſa. Viriliter ergo agonizemus in huius vitæ ſtadio vt coronam incorruptam mereamur recipere à Domino. Quæramus totâ mentis intentione ſancti martyris Gerulphi auxilium, & ipſe nobis concedet ſuæ pietatis ſolamen quo reſiſtere poterimus aduerſarij ſuggeſtioni. His ita ſe habentibus quæ ſuperſunt cum Dei ope proſequamur.

Alia itidem tempeſtate Presbyter quidã nomine Dietfridus magnâ vi febrium ęſtuans in iam fati martyris Gerulphi confiſus ſanctitate venit ad memoriã cum magna cordis humilitate, orans lachrymoſis precibus quo ſubueniret ſuâ miſericordiâ infirmitati ſuæ, tribueretq; medelã ſanitatis quæſitæ, quique aliis ſuccurrebat ſe miſerum dignaretur curare. Oranti autem viſum eſt, vt de Sancti ſepulchri puluere potionem factam hauriret credens ſibi profuturam. Puluerem verò cum aqua miſcens & hauriens febre ex integro amota ſoſpes lætuſque rediit domum. Multa quidem & alia ſigna quotidie fiunt ad Beati huius tumbam latenter, quæ humanæ ruſticitati diſplicent, quia ſunt homines velut irrationabilia animalia bruti cerent eum intellectu quem ſub viri nomine quæ-

rebit Saluator à muliere Samaritana dicens: Voca virum tuum & veni, id eſt, adhibe intellectum tuum per quem intelligere valeas quæ tibi dico, ſolo namque intellectu diſcernimur à pecoribus brutis quæ minime queunt diſcernere quid ſit bonum malumue. Sancti enim vt efficacius credantur, mira foris operantur. Stulti plane & fatui quidquid boni agere cernunt iuſtos, malunt nequiter coridere quàm humiliter laudare. Phariſæorum vtique imitantur male ſanam doctrinam, qui Saluatoris iuſtiſſimam renuentes prudentiam garrulis reprehendebant interpretationibus ſuorum præceptorum decepti erroribus. Sancti verò & iuſti nihil abſque Dei ope faciunt, quia Chriſtus ſic ait diſcipulis ſuis: Sine me nihil poteſtis facere. Ergo ſi ſine Deo nihil agunt electi, qui eorum mirabiles actus ſubſannant, Dominum profecto impudenter nimis inhonorant. Honoris itaque officia omnibus iuxta noſtram poſſibilitatem Sanctis impendamus vt eorum aſſiduis interuentionibus æternum Regem propitium habere valeamus.

Ecce Patronum habentes venerabilem fratres chariſſimi diuum & ſanctum Gerulphum martyrem dignis obſequiis & laudibus proſequamur, ne ambigemus de eius ſanctitate, non claudicemus in eius ſeruitute, quàm vt experti ſumus plurimi ab eo ſanati ſunt. Martyr eſt inclitus, & cum Angelis triumphat in cœleſtibus. Cum Pſalmiſta quoq; fari ex iſto valemus, nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.

Contuendum etiam quod hic beatus Martyr ſicut voluit & iuſſit tranſlatus eſt ad Monaſterium Truncinias oct. Idus Octob. die à multitudine honorabilium hominum laudantium ac benedicentium Dominum in excelſis omni-

Digitized by Google

ſis omnipotentem, cuius ineffabilis clementia concedere dignata eſt eis occultum & deſiderabilem theſaurum ſanctiſſimum Gerulphum martyrem inſignem, quem in cœleſti regno amplectitur, glorificat Chriſtus cum Patre Spirituque ſancto, ſancta Trinitas Deus, cui ſit honor, virtus & poteſtas per immortalia ſæculorum ſæcula. Amen.

Incipit Aduentus S. Gerulphi.

SCripturi aduentum beati & glorioſi martyris Gerulphi ea quæ de paſſione eius egregiè digeſta ſunt prætèrimus, reliquia vero partim experta ſed nedum publicata ſubteximus, atque in audientium fidelium ſana relatione conſerimus. In illo paſſionis ſuæ libello quæ illius erant temporis eloquitur paſſio. Hic aduentus eius æquè voluet quæ huic congruunt feſto. Ibi miraculorum ſeries, & luctus exitus exequiarum: hic reſonat in laudem Dei vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. Ibi palmes Dominicæ putationis victurus in gloria ſucciditur, hic Cedrus Lybani flore perhenni rutilans in domo Dei plantatur. Ibi Martyr noſter & dulcis Dei amicus theſaurum bonæ conſcientiæ quem geſtabat in vaſe fictili in illo admirabili Martyrum calatho collocat; Hic oſſa viuifica donec corruptinum hoc veſtietur incorruptione & mortale hoc induet, immortalitatem virgini virginum commendat.

Sanè quidem in oratorio perpetuæ Mariæ Virginis aptantur ſuo loco reliquiæ pudici Martyris quia virginitati ſemper proxima eſt pudicitia, nec virginis lilio diſconuenit Martyris roſa. Ipſa ſane Dei genitrix, ipſa etiam perpetua virgo, hunc pretioſum ſui filij militem gaudet componi in ornamentum ſuæ Eccleſiæ, qui & ipſam emulatus

eſt virginitate & Dominum Ieſum paſſione. Nam quod ſane credendum eſt, in epitalamio virginum exultat cum virginibus, & in calatho Martyrum tripudiat cum Martyribus. De habitantibus Cedar, & de luto huius miſeriæ tranſlatus eſt ad gloriam Angelorum, factus eſt ibi filio hominis dulce reclinatorium, nobiſque eius memoriam continuantibus fiduciale propitiatorium. Hic in laudem & honorem ipſius omnes pectoris noſtri cordas extendimus, ibi poſt incerta huius vitæ ſtudia ex ſuffragio huius Martyris gaudium & lætitiam exſpectamus. Tunc ipſe nobis erit apud ſuū Iudicē interceſſio & fiducia: & quod minus nobis ſuppetit ad excuſationē commiſſi noſtri ex eius nobis redundabit virtute & gloriâ. Nunc autē ſupereſt illud euoluere, quomodo ſit in ea qua ſepultus erat Eccleſia extumulatus, quomodo Truncinium tranſlatus, quomodo inquam in Baſilica S. Mariæ Virginis digna cum reuerentia exaltatus. Itaq; rei ordinem euoluemus.

Eâ igitur tempeſtate quâ breui ſub tumulo latebat iſte glorioſus Athleta Dei neceſſe erat ad ſalutem multorum hunc extumulari, quatenus in domo Dei ſuarū virtutum adornamenta latius ſpargeret, & lumen Chriſtianæ fidei copioſius accēderet. Nam de ſepulchro eius plurimi fluxerunt curationum riui, & quantæ fuerit ſanctitatis ex miraculis erit facillimum videri. Surdi & cæci, claudi quoq; & id genus male ęgrotantium certa ibidem meruerunt antidota, nec quiſquam ſui voti fruſtrabatur effectu, niſi quem imbecilla fides indignum fecit tanti Martyris gratia. Ipſa eſt euidens iuratio corporum; ſpem plurimis adauxit de ſalute animarū, quia ſanè credendum eſt, eum veniam potuiſſe impetrare ſaluandis animabus, cuius virtus vbiq; clarebat, in curandis corporibus. Vnde vſq; in hodiernū diē in villa, quam Merendrā nuncupāt,

tumu-

Digitized by Google

tumulus eiuſdē Martyris non auro, non argento, non inquā pretioſis gemmis inſignitur, aut lapidibus expolitis, ſed infirmorū baculis atq; repentium ſcabellis. Hæc ſunt pretioſa militis Chriſti inſignia. Hæc eius ſunt plena virtutibus æraria, quæ neque fur effodere, nec corrumpere poterit tinea. Itaq; in prædicta villa, in Eccleſia B. Radegundis virginis cum aliquandiu pauſarēt in Chriſto oſſa eiuſdē Martyris, quidam Presbyter nomine Gontherus, vir ſuo tempore bonę conuerſationis, & in vinea Dñi ſabaoth aſſiduus, eandē Eccleſiā boni paſtoris informabat & ſtudio, & ne in fugam vt mercenarius aliquando laberetur, obfirmato pectore ſe oppoſuit inſidianti lupo. Sed cùm iam in area Domini fatigaretur, & ſub pondere diei & æſtus manus eius grauarentur, incidit ei cogitatio à labore quem ferre ipſe non poterat, velle reſpirare, & aliū, qui vberius in populo Dei fructificaret in eadem Eccleſia ſubſtituere. Durum erat ſub pondere laboris quo quotidie incuruabatur perſiſtere, ſed multo durius depoſito Eccleſiæ officio, ouile dominicum negligere, vnum ſuaſit neceſſitas, alterum vetuit charitas. Cumq; in vno eodēque pectore hinc neceſſitas illinc charitas conflictū moueret, ipſeq; Gontherus incertus eſſet quid potiſſimum, ageret tandem quendam Presbyterum nomine Lambertum, tam ſibi quam Eccleſię ſatis idoneum in eadem Eccleſia fecit ſibi eſſe vicariū. Tum idem Lambertus Eccleſiæ populiq; ſollicitus ſeipſum primitus quaſi in ſpeculo cepit circumſpicere ſuorū actuum deformitatē pura conſcientia reprehēdere nihil in iis quod nō corrigeret negligere. Poſtremo ſeipſum in exēplar ſanctæ conuerſationis proponere. Deinde gregē ſibi cōmiſſum piā ſollicitudine circuīre, ſingulorū opera explorare bonos ad meliora, malos ad veniā atq; correctionē ſancta admonitione incitare.

Cumque huiuſmodi ſtudio quotidiè floreret, nec vel puncto temporis ſibi ipſi parceret tandem eo in ſoporem ſoluto aſtitit quieſcenti ei beatus Dei martyr Gerulphus totus conſpicuus & qui homo putari non poſſet, ſed Angelus. Quem ille amica viſione eſt diu intuitus, & neſcio quid extra humanam habitudinem in eo admiratus, in extaſi totus rapitur, & vix in eo remanet ſpiritus. Intuetur tamen in reuerberata oculorum acie hominem angelicum eiuſque captus pulchritudine ſuiq; oblitus, nihil cogitare poterat præter ipſum. Cumque eius claritate exſaturari non poteſt & imperfectum ſuum defleret in hoc perfecto milite Chriſti tandem ſpiritum recollegit; dulciaque cum eo miſcens colloquia ſic effari cepit: Tu quis es mi Domine? quod tu tantus ad tam humilem veniſti, ſanctus ad peccatorẽ, Angelus ad hominem. Tu iam in angelicam tranſlatus naturam nihil habes hominis; ego in hac valle lachrymarum ſarcina corporis pergrauatus modicum quid differo à beſtiis; quis tu, aut vnde vel cur venis, tuum eſt mihi ſubintimare; meum verò erit tui memoriam in omni circa regionem facundo ore magnificare. Tum Beatus ille Dei Martyr, vt erat mitiſſimi pectoris blandum prætendens ſui vultus habitum, Lamberto dulciter arridet, deinde ne concepto timore turbetur ipſum intrepidum eſſe iubet. Cauſam poſtmodum ſuæ præſentiæ nomenque ſuum indicat; ipſumque ad transferendas ſui corporis Reliquias hortatur & obſecrat. Imperat ſe Truncinium efferri ad Baſilicam beatæ Mariæ Virginis, vt pote ad oratorium quod Dominus Ieſus præordinauit in honorem & gloriam ſuæ piiſſimæ Matris, & requiem & laudem dulciſſimi ſui Martyris. Recedente viſione Lambertus lecto excutitur, ſecum viſa recolligit, ſtupet in ſingulis, miratur ad omnia.

certæ

Digitized by Google

certæ rei fidem adhibet, occultare tamen hæc omnia diſponit.

Poſtera verum nocte beatus Gerulphus in ea qua prius forma dormienti affuit, eumque de priori negotio vt ante commonuit. At ille humana formidans indicia, infirmæque hominum credulitati confidens cepit viſionem tegere quam publicare debuerat, atque inter ſpem & metum quid ageret dubius ſecum mente pugnabat, cum interim tertia itidem nocte B. Gerulphus ſolito ſeuerior, & quaſdam vultu minas protendens ſuo Lamberto ſe oratum exhibens, minis carpit, arguit negligentiæ, ipſumque ad ſui corporis eleuationem cogere potius cepit quam petere. Nec mora, Presbyter euigilat, trinæq; viſioni congratulans de reliquo titubat. Noctes perinde atque dies continuat orationibus, inſtat vigiliis ieiunio ſe cruciat, & quo potiſſimum hæc res tractetur à Domino conſilium lachrymis flagitat.

Dum ſic aſſiduis ſuſpiriis ſollicitat viuentem in ſæcula, adeſt de repente familiaris ſuus noſter Martyr, Dei amicus ſanctiſſimus Gerulphus, eumque pacato vultu, lætiſque oculis intuitus, bene, inquit, bene cepiſti mi frater Lamberte, ſed iam ceptum de mea eleuatione negotium ad vſque finem honeſtum perſequere. De ſuffragio Dei noli hæſitare, neque ſuperſtitioſam vulgi loquacitatem neceſſe eſt metuere, quia conſilium Dei propedire non poterunt filij diffidentiæ. Aderit tibi & verè aderit ille qui non fallitur filius virginis plenamque adhibebit operam vt de ſub luto egeratur corpus ſui Martyris. Sunt etiam ſuper hac re eorum iucunda conſilia, quorum pura deuotione Deus ſua de me exſequetur opera. Tali demum admonitione Lambertus animatus, cum receſſiſſet viſio omni timore perturbato Gontherum

therum ſuum cuius vicem agebat, nihil cunctatus aggreditur, trahit ſeorſum, ducit in ſecretorium eique viſionem de hoc Chriſti Martyre, prout quater acta eſt Deo teſte eloquitur.

Gontherus hâc nouitate attonitus intrat ſecretum mentis ſuæ cubiculum, oratq; ſuper hæc Dei magnalia Patrem ſuum cœleſtem fuſiſque in laudem Dei precum ſingultibus poſtquam orationem terminat, diſponit circumfluam cleri plebiſque conſulere multitudinem, quorum prudenti ediſcat conſilio quid potiſſimũ ſit agẽdum de hoc abſcondito Dei theſauro. Capta deinde tẽporis oportunitate, & collecta quaſi ad circi ſpectaculum totâ penitus regione, ipſe Gontherus medium itemque altiorem locũ occupat cunctis ſtupentibus. Primò indicit ſilentium, deinde de Martyre ſuo abunde diſputat. Inducit ſanè Martyris paſſionem, enodat diuerſa curationum genera, & quæ ab ineunte æuo vſque ad capitis truncationem Sanctus Dei egerat, ea omnia multitudini collecta recitat. Deinde proceſſurus ad certiſſimas de Martyre Dei viſiones, prædictum Lambertum ſani teſtimonij virum, & qui omnem rei ordinem viſu teſte cognouerat; in publico ad teſtimonium ſuæ narrationis collocat, & quia in ore duorum vel trium omne ſtabit verbum: Gontherus B. Martyris viſionem quater actam enarrat ſub teſtimonio Lamberti, ipſeque Lambertus eã corroborat certâ authoritate fidei ſuæ. Protinus vt id moris eſt, ſoluti ſilentio omnis illa multitudo in voces tumultuat ſonituque plebeo in laudem Dei æther concrepat. Videres quoſdam altius gemere, alios in iubilum ſanctæ exultationis ſe attollere, plures autẽ contuſo pugnis pectore, & poplite in terram flexo, neſcio quas Deo dulces Odas pulueri immurmurare. Ita prætermiſſo modicum ſpatio Gontherus narrandi ordinem

reite-

Digitized by Google

reiterat, & velut camino oleum adiicias, anhelantem ad Deum populum exhortatione mirabili inflammat. Monet omnes ad eleuationem Martyris vnanimes fore ſeque ipſum non defuturum nec pigrum ſpondet pura mentis deuotione.

Teſtatur præter aſſenſum omnium ſe nihil velle præſumere, ſibiq; vtiliſſimum videri omnes in vnam eandemq; ſententiam conuenire, pariq; conſilio, ſanum negotium eſſe incipiendum atque remotis omnibus conſtanti animo Martyrem Dei extumulandum. Poſtremo nulli licitum eſt ad has Reliquias, niſi caſtigato corpore peraccedere, ideoque omnibus ſanum aliquos ante dies ieiunio continuare. Itaque triduanum multitudini indicit ieiunium terminatoque ſermone ſoluit conuentum.

Eo tempore Carolus Rex Francorum annum regni ſui agebat ſeptendecimum, Balduinus cognomento Caluus trigeſimum ſextũ ac regnauerat annis in Comitatu Flandriarum; Eirardus quoque Nouiomis ſub Chriſto authore rexit Pontificium. Huius Eirardi erat ſtudium de incremento Eccleſiæ ſollicitari, Dominiq; veſtigia in mandatis eius totâ animi deliberatione velle imitari. Remouebat de Eccleſia illas de cantico vulpeculas, quæ demoliebantur vineas Domini, ſciens conuentionem Chriſto non eſſe cum Belial; nec partem fideli cum infideli.

Gaudebat ſanè Eccleſias inſignari Reliquiis Sanctorum, quæ aduerſus hæreticas prauitates ſane fidei ſunt in teſtimonium, quia ex miraculis Sanctorum ſolidatur fides Chriſtianorum. Huic verò religioſo ſuggeſtum eſt de eleuatione B. Gerulphi martyris, atque ad hoc officium eum eſſe vnanimem poſtulabat deuotio cleri & plebis. Aſſenſit pater ille ſupplicantibus, clerumq; inuitabat ſecum cum perſonis laicalibus. Conuenerunt pari cum feſtinatione,

Digitized by Google

nec diſſimili voto plurimi, magis autem ob reuerentiam Martyris noſtri quàm ob imperium ſui Epiſcopi. His ita in viam ordinatis, Epiſcopus iter arripiens longa viarum per diſpendia ad vſque prædictam Merendram peruenit, collectumque ſibi in obuiam vulgus ad effodendum Dei Martyrem commouit. Cerea interim deducuntur virgineis manibus luminaria: ſpargunt procul odorem impoſita igni timiamata, aptantur munda oſſibus ſacris receptacula. Data tandem licentia Epiſcopi, viri fœminæque ad ſepulchrum certatim proruunt terramque alij ferramentorum vtenſilibus, alij manum vnguibus egerunt quęruntque ſub puluere, qui fulgebat in æthere. Cepit iam illud mundiſſimum frumenti granum videri quod effoſſum exuberabat miraculo multiplici. Remota vulgi ſollicitudine Epiſcopus viuifica oſſa elemento benedictæ aquæ aſpergere properauit, eaque, vt moris eſt, thurificata mundo linteamine obuoluit.

Inſtabat iam tempus quo Truncinium cum hoc electo Chriſti Martyre & milite tenderetur, verum omnis vicinia ingemuit plurimum quia tali Patrono priuaretur. Accurrebant tamen luctuoſi hi humeros, illi dexteras ſubiicientes miſerumq; ſe clamitabat, quem à tam nobili pondere aut ſenium retraxit aut carnis imbecillitas. Nedum viciniam ad quam feſtinabatur attigerant; cùm ecce à Creatore perpetuæ Mariæ Virginis, cum cereis & dominicis vexillis palliata canonicorū erupit proceſſio, ſuſceptumque in humeros Martyrem extulerunt cum ſpiritali cantico. Tali cum tripudio illud nobile ingreſſi oratorium Merendrem ſuum dolorem ſibi mutabant in gaudium, locabant loco haud obſcuro hunc Chriſti Martyrem expolitum lapidem ſcilicet in ornamento ſupernæ Ieruſalem, vbi apud Regem ſuum quem in decore ſuo mundis

aſpecti-

aſpectibus intuetur, nobis ſe præſtat interceſſorem.

Procedebant ſane ibi de theſauris Dei glorioſa miracula quia campanæ in aduentu S. Gerulphi abſque humano impulſu puriori præter ſolitum ſonitu feriebant aëra, cereique ante altare S. Mariæ non admoto flammarum incendio, ſed ſolo Dei nutu procul ſua ſpargebant lumina.

Adductus eſt interim quidam energuminus, ac cuius ore fœdus inhabitator verba rotabat horribilia, quem vndique vinctum ferrea cohibere vix poterat catena. Aſtabat miſerandi hominis collecta in fletum conſanguinitas, & in huius miſeri miſeriam cum magno eiulatu S. Gerulphi inclamabat Reliquias. Cumque poſſeſſus ille patulo ore totus excederet, & fronte rugata, atque minacibus oculis fœdas geſticulationes moueret, quidam de adſtantibus Canonicis os vnum de iis ſacris Reliquiis arripuit, quo aquis intincto dependentes de eodem oſſe ſtillas in os patulum debachantis iniecit. Dæmon S. Gerulphi non paſſus meritum, fœda vt ſolet relinquens veſtigia exiuit illud familiare ſibi ſubſellium, eoque fugato arreptitius ille recepit ſeipſum. Succedant igitur gaudiis gaudia, applicantur miraculis miracula, repletur & laude & iubilo tota Eccleſia. Reducunt illi quem dementem adduxerant ſoſpitati redditum. Canonici verò Martyrem ſuum exaltant in eadem Eccleſia pro ſpeculo ſanctarum virtutum. Dicat igitur: Dicat Martyr noſter S. Gerulphus: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi; hic habitabo quomodo elegi eam. Hæc acta ſunt octauo Idus Octobris anno ſcilicet nongenteſimo quinto decimo Dominicæ Incarnationis.

Anno milleſimo octogeſimo octauo Incarnationis Domini occidentale opus Truncinienſis Eccleſiæ diſſoluitur tempore Gedezonis Præpoſiti, ipſius etiam ſimulque

Canonicorum ac laicorum conſilio, vt in maiore elegantia fundaretur, quod antiquis temporibus à paganis conſtructum fuerat, & eiecto Idolo, atque erecto vexillo ſanctæ Crucis à S. Amando in honorem beatiſſimæ Matris Domini Mariæ conſecratum erat. Vnde clerus cum populo ipſius Cœnobij ſcrinium cum corpore S. Gerulphi martyris per ſingulas Flandriæ Parochias deportare ſapienter decreuit, vt quæ minus ex rebus ſuis poſſent explere, ex piis aliorum largitionibus copioſius Eccleſiam reſtaurarent, igitur cum hymnis & laudibus deuotiſſimè ad honorem Dei huiuſque Martyris decantatis, glorioſè egreſſi digniores loci & in religione commendabiles Eccleſiæ perſonas ſecum prouidè duxerunt; & ſic præcedentes atque verbum vitæ populo communicantes magnam Eccleſiæ ſubſtantiam fideliter coadſeruauerunt. Quis enim auditis huius pretioſiſſimi Sancti magnalibus viſcera pietatis erga eius fideles nedum petentes, licet auariſſimus nõ largiter aperiret? Vel quis per bonos diſpenſatores miniſtrorum Dei exempla vitæ eius doctus vias erroris quas ſine Deo auctore quiſque infœlix ſibi inuenit citiſſimè dēſereret? Illi enim erant ſerui patrisfamilias & diſpenſatores Domini menſuram tritici fideliter erogantes quomodo ab ipſo acceperant. Vnde Apoſtolus ſcribit, dicens: Vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Nam quicunque ſpiritale triticum ſanctæ eruditionis recte minus doctis diſpenſauerit fidei ſacramentum & ſanctæ operationis conſilium pectoribus eorum ſæpiſſimè inſerit. Ergo magna pars eorum cùm per Dei famulos verbum veritatis audirent & vitam ſancti martyris Gerulphi commendabilem in armariolo ſui pectoris ſæpius reuoluerent à peccatorum via fortiter deſiſtunt, ſtudentes grex fieri boni Paſtoris & familia ſui Redemptoris. Scriptum

eſt

Digitized by Google

eſt enim paſtorem bonum animam ſuam poſuiſſe pro ſuarum ouium redemptione. Nam poſtquam Spiritus ſanctus per verba prædicantium rubiginem vitiorũ in mentibus eorum ardenter conſumpſerat & amorem ſui firmiter infixerat, omnia quæ ab eis quærebantur dare non recuſabant, ſed vltro etiam non quæſita miniſtris S. Gerulphi per æternæ beatitudinis remuneratione͂ abunde offerebant. Quo fit cum ſermo Doctorum quem Spiritus ſanctus intus & extra emiſſum diſponit corda audientium pungat & vitia exſtirpet, & ardorem ſui inflammet, rectè populus ſanctâ prædicatione ab errore conuerſus iuſtis actionibus gaudet conſtanter inſudare. Quo circa Dei ſanctique Gerulphi familia donis pietatis valdè ditata in Parochia Suinerghem, vt pernoctaretur gratulanter peruenit, & ſibi à cuſtode vt ſolet fieri cum Reliquiis introitum Eccleſiæ ſuppliciter quæſiuit. Ille autem cuſtos neſcio vnde iratus vel cuius conſilio deprauatus petitionibus eorum ſuperbè reſpondit coniurans ac deteſtans illis cum S. Gerulpho nunquam patere ingreſſum. Quo dicto indignans eos vlterius audire rapido curſu ſe illis ſubtraxit, & ianuas templi propagulis oppoſitis & ferreis ſeris ne incederent obſtruxit. Deinde cum ſcrinia S. Gerulphi ad oſtium excluſa ſtaret, magna virorum ac mulierum multitudo concurrens, vndique affluxit, illumque excluſum conquerens in humeris altè ſuſtinuit. Paulò poſt puella contracta reptando cum ſcabellis aduenit, quæ ſuper ſcriniam deuotè ponebatur vnaque cum populo Dominum S. Gerulphum ſibi ſanitatem cum vſu membrorum recepit & recta incedens Deum qui ſuum Martyrem in conſpectu populi tanto miraculo declarauerat, multis Te Deum laudamus concinentibus magnificauit.

Igitur cuſtos ille videns hoc miraculum quod fiebat

Digitized by Google

per beatum martyrem Gerulphum pœnitentia conductus, de animi ſui duritia Dominum cum aliis conſtanter benedixit, Eccleſiam concito reſerando; ſanctum Gerulphum cum familia intromiſit. Nec munera pietatis parca manu Deo in memoria ſanctiſſimi martyris Gerulphi conferebant, ſed quæcunque contradere poterant, ad ſcriniam eius exultantes offerebant. Hic quoque extat illud dictum Ieſu filij Sirach, completum in omni dato hylarem fac vultum tuum & exultatione ſanctifica. Quod ille nobis quoque præſtare dignetur, qui viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

GEORGIVS IVSTVS

Bierflieti.

5. *Aug.* ANno milleſimo ducenteſimo nonageſimo octauo obijt Georgius Iuſtus mercator panni linei, cuius memoria in benedictione eſt, ſepultus in Eccleſia Bierflietenſi. Ita Molanus in natalibus hac die, & ex eo Miræus in faſtis. Eſt autem Bierflietum opidum Flandriæ vndique nunc mari cinctum, olim piſcium ſalitione famoſum.

GERARDVS ABBAS

In Blandinio.

3. *Oct.* GERARDVS apud Stablecellas Lomæcenſis territorij vicum Patre Stantio ex proſapia Haganonis Auſtraliorum Ducis matre Plectrude Stephani Tungrorum Epiſcopi ſorore procreatus eſt. Is tanta in rebus agendis præditus erat prudentia, vt Comes Namurcenſis Berengarius

Digitized by Google

garius ipſi difficiliora quæque magiſque arcana committeret. Cum autē die quodam idem Comes venatum cum ſuis fuiſſet, ſanctumque virum ſecum duxiſſet, Gerardus ſpiritualia corporalibus anteponens, propinquam Bronij adijt Eccleſiam (quod prædium cum adiacentibus ad ipſum hæreditario iure deuolutum erat) vt ibidem diuinis myſterijs intereſſet. Dum vero Sacerdos qui illa perageret exſpectatur, cæleſti viſione monetur, eo in loco oratorium conſtruere, quo exſtructo & copioſis prædiorum reditibus dotato, ibidem clericorum ſodalitatem inſtituit. Poſt valedicens mundo & Comiti monaſticam induit veſtem, extra Pariſios in S. Dionyſij monaſterio, vbi inſtar quinquennus pueri prima ſolidæ pietatis elementia didicit, & paulatim Presbyterij gradum adtigit, nono à conuerſione ſua anno. Exinde vir ſanctus ſacra Eugenij Toletani Archiepiſcopi pignora, pro Bronienſi eccleſia, ab Abbate S. Dionyſij obtinuit. Tum ſtatim adſumptis ſecum aliquot ſuæ profeſſionis monachis, Bronium repetijt, & ibidem pro clericis monachos ſubſtituit. Denique poſtquam Pater & Abbas octodecim monaſteriorum fuiſſet, & in eis peruigili curâ omnia adminiſtraſſet; ad Bronienſe monaſterium ſe recepit ibique anno 958. fœliciter in Domino quieuit. Sic ferè legitur in officijs proprijs Eccleſiæ Cathedralis Namurcenſis: cui Epiſcopatui annexa eſt dignitas Abbatialis Bronienſis. Inter Monaſteria quæ S. Gerardus rexit & reformauit fuerunt iſta, Blandinienſe, Bauonicum, Bertinienſe, Giſlenianum, Marchianenſe & alia Belgica. Stephani Papæ diploma, quo Bronienſis monaſterij fundationem confirmauit exſtat in Originibus noſtris Benedictini, inquit Miræus, ampliſſimas viri laudes apud Locrum, Meyerum & alios vide.

Vita

Vita Gerardi Gellenſis primi Abbatis in Blandinio poſt expulſos Canonicos.

VIr Domini Gerardus Namurci ingenuis, atque orthodoxis parentibus apud Stablecellas Lomacenſis Territorij vicum ortus eſt, Pater Stantius nomen habuit, ex Illuſtriſſima Auſtraſiorum domo, matri Plectrudis nomen erat, quæ & ſoror fuerat Domini Stephani Leodienſis Epiſcopi, temporibus Otthonis primi, Germanorum Imperatoris, & Berengarij Namurcenſis Comitis, diuina clementia. Hæc pueri directrix, omnibus illum amabilem fecit monuitque non laſciuiret, non voluptuaretur; talibus ornamentis iuuentam mirum in modum decorauit, in templo aſſiduus, ibique verba vitæ quæ auidus audiebat tenaci memoriæ ruminanda commendauit. Atque hac vitæ formula cum totum ſe Chriſti addixiſſet famulatui, tam diuinam ſibi beneuolentiam conciliauit, quod etiam in hominum influebat affectus, itaque Berengarius Comes diuinum in iuuene cernens affectum ſibi eum ſtudebat deuincere. Ornauit illum militiæ titulo, factuſque illi ex hoc magis cognitus, familiarius eum cepit diligere, ita vt nihil præter eius conſilium ageret, valebat enim tam virtute animi, quam conſilio, fidelis erat in commiſſo, in ſermone verax, alloquio dulcis, conſuetudine manſuetus, iuſtus in iudicio, in auxilio ſtrennuus, nec mirum cum tegeretur ſpiritualibus armis, vtpote fidei armatura, lorica iuſtitiæ, præcinctus gladio diuini verbi, quibus armis validiſſimè ſpiritales expugnabat nequitias, frugalis vſque ad miraculum, erat mirè benignus circa ſuos, Chriſtiana in eo charitas, patientia multa, atque humilitas cæterarum

ratum virtutum cuſtos ſingularis, in pauperes miſeratione nulli ſecundus; atq; vti vir apoſtolicus, omnibus omnia factus eſt, ſenſit Comes Berengarius ſuæ domui, atque patriæ domini benedictionem per illum adeſſe, tantaq; beneuolentia illi eſt affectus, vt ſola illius abſentia malum ſibi iamiam imminere iudicaret, quodam ergo tempore quum & Gerardum ſecum Comes duxiſſet ad venandũ, & ea peracta domum reuerteretur, cum ſuis, corporis reficiendi gratia, Gerardus alio diuertit adhuc ieiunus in ſacellum, nempe non longè poſitum Bronium dictum, quod illi à maioribus iure hæreditario obuenerat cum circumiacentibus prædiis, ex fundatione ſcilicet & conſecratione Lamberti Tungrenſis Epiſcopi, exſpectabat ibidem Sacerdotem qui diuina celebraret, interim orationi, & diuinæ contemplationi deditus; verum dum ille fruſtra expectatur, Gerardum ſopor opprimit diuinus, viditque duos Petrum & Paulum ſibi aſſiſtentes, quorum prior viſus eſt illum circumquaque ducere intus ſacellum & foras, cumque ab Apoſtolo inquireret cauſam serioſæ deambulationis, huic loco, inquit, decreui eſſe Patronus, ſocium mihi ſumpſi filiolum meum Eugenium martyrem, hoc ergo iam ruiturum ædificium dirue, nonnunquam conſtrue, ad eam amplitudinem commoditatemque quam tibi iam præſcripſi; viſuſque eſt illi cuncta particulatim oſtẽdiſſe, ad ſeſe rediens Gerardus mirabatur viſionem, ac gaudens breui ad extremum punctum expleuit mandatum Apoſtolicum anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo duodecimo, inſtituens Canonicos regulares, quos etiam dotauit prædiorum ſuorum atque terrarum prouentibus, quantum ſufficeret Deo ſeruituris. Cumque ergo ſeruus Chriſti Gerardus pio affectu feciſſet ſatis per templi erectionem, miniſtrorum Dei erectionem reliquit,

liquit, vt curaret in eum locum transferre corpus Eugenij martyris. Diuinâ igitur diſpoſitione Comiti Berengario obuenerunt negotia quædam in Francia, quibus obeundis cùm neminem noſcet magis idoneum Gerardo, rem omnem illi committit, agit ille fideliter quæ acceperat, & dum moratur Pariſiis cum electis ſociis, adiit venerandum templum Diui Dionyſij, ſociorumque eius in Francia, in quo & nouerat quieſcere deſideratum beati Eugenij martyris corpus, orat, lachrymas fundit, interpellat Sanctorum patrocinia, vt fœliciter poſſit illi ſuccedere, quod tantopere deſiderabat, manifeſtat religioſis cordis ſecreta, & obnixè precatur, ſibi conferant beati Martyris corpus, aiunt facilè ſeſe illi aſſenſuros, vbi ſui inſtituti ac Religioſis regulam acceptaret, ille verò cui olim hic mundus grauis fuerat, aſſenſit ſumptoque habitu beati Benedicti ordinationem profeſſus, per omnium humilitatem, obedientiam & patientiam probatus mirum in modum profecit, deditque eidem Monaſterio redditus ac terras, quæ ampliſſimè ex paterna hæreditate in Lotharingia poſſidebat, factus itaque Monachus, omnium ſibi deuinciebat animos, vt magis feruens eſſet in diuinis laudibus, ab ipſis elementis (erat enim expers litterarum) ſe dedit litterarum ſtudiis, in quo ſtudio ita profecit, vt breui tempore, non tantùm litteris, ſed & diuinis eloquiis, videretur ab ineunte ætate perfuſus, Monachi itaque tantam in iuuene gratiam cernentes, petierunt (etſi reniteretur) ſuſciperet ſacros ordines, quem etiam, etſi ordinatione nouiſſimum, ob animi virtutes, atque conſilia aſſumpſere inter primos, nihil agentes non habito eius conſilio. Occaſionem itaque nactus Gerardus acquirendi corporis beati martyris Eugenij, quod in eo loco

(vt diximus) quieſcebat, narrat fratribus propoſitum, addit iuſſum apoſtolicum, rogat, precatur, & pro Broniensi Monaſterio impetrat ſanctum corpus. Poſtremò valedicens fratribus abſcedit clanculum ob incolarum metum, proſperè peruenit ad municipium in pago Lomacenſi nomine Cuminum; Patrum ſuamque hæreditatem reliquit. Itaque precioſum theſaurum dum reuerteretur ex Lomaco ſub cuſtodia duorum fratrum, quorum fratrum cum dudum experta fides; reuertitur Bronium, parat regreſſum, fit populi concurſus cum iubilo & hymnis, Martyris corpus concomitantis; acceſſit Adhelelius eius loci Archidiaconus cum clero è Cœnobio ſancti Foillani, perueniunt Bronium, ibique collocant Martyris corpus ipſo die Eugenij 18. die Auguſti agentes ſolemnem diem. Acta verò, cunctorum gaudio, ſolemnitate redeunt quiſque ad propria; vir autem Dei Gerardus, per omnia maximè prouidus Bronij prius à ſe ordinatis clericis, Monachos Ordinis Benedicti ſubſtituit, quibus cum aliquandiu præfuiſſet, irruentiſque populi moleſtias ægerrimè ferret, nec tamen abeundi daretur occaſio, prioribus ſubſtitutis cellulam ſibi elegit non longè à templo, in qua vacaret diuinæ contemplationi & aſſiduæ orationi; quia vitæ continentia quouo ſpiritus feruore ſucceenſus ſeipſum quotidiè Domino holocauſtum obtulerit non facile crediderís, Angelum potius dixiſſes quam hominem; proximorum neceſſitatibus, data occaſione nihilominus deditiſſimus. Duci Lotharingiæ nocte in ſomno apparuit beatus Giſlenus (qui requieſcit in pago Vrſidunum nomine Hannonienſis territorij) admonens eum reformationis cleri Monaſterij Vrſidongicellenſis, apud quos pænè cum religione virtus perierat; hoc addens quod neminem

Digitized by Google

eius temporis nouerat magis idoneum eius rei curatorem Gerardo, qui authoritatem ageret iuxta Broníenſe Monaſterium. Curat Dux diligenter quæ viderat teſteſque viſionis ſecum aſſumpſit, Tretdonem Epiſcopum Cameracenſem, & Raginerium Comitem Hannonienſem, euocatur Gerardus, magniſque precibus vix tandem educitur non ſine graui ſuorum dolore, Vrſidongi igitur Abbas factus breui tempore dictum locum in melius reformauit, reddiditque eidem loco ablatum corpus antedicti Gileni, qualis autem quantuſque eſſet apud Dominum, prodiderunt miracula. Mulier quædā ex villa Buxitum nomine orbata luminibus, cùm intereſſet ſacris myſteriis, quæ offerebat Gerardus, & attentius Dominum precaretur rogabat quendam, vt daret ſibi eam aquam, quâ lauaſſet manus ſuas ſeruus Chriſti Gerardus poſt communionē Dominici corporis, quā acceptā, lauat oculos, & ſtatim Dei beneficentia, ac viri Dei fide, lumen illi reſtitutum eſt. Comes Flandriæ Arnulphus eodem interceſſore à grauiſſimo calculi dolore liberatus eſt, cùm lumen non ſub modio ſed ſuper candelabrum poſitum omnibus luceret, præfecit antedictus Comes Gerardum, quotquot ſub illo erant, Abbatiis, vt eas ad priſtinam religionem reduceret, Is ergo, huiuſmodi onere honoratus anno 940. retulit corpora ſanctorum Bauonis & Pharaildis, ac aliorum ab Eccleſia noui caſtelli ad Cœnobium Gandenſe, cum ingenti lætitia, & populi comitatu quodq; Cœnobium ipſe poſtmodum reædificauit, aggregatoque ibi ſanctorum Monachorum cætu, Comes Arnulphus qui illa Monaſteria vel erexerat, vel in melius reformauerat, quantum neceſſe erat honorabat, decorabat, & dotabat, inter alia Blandinienſe Monaſteriū Gandaui, quod dudum B. Amandus conſtruxerat pænè col-

lapſum

Digitized by Google

lapſum per beatum virum Gerardum hunc Cellenſem Abbatem reformauit, & à regulari, ad monaſticæ vitæ normam reuocauit, donans illud amplis poſſeſſionibus, vt vulgo reparator Monaſterij eſſet dictus, qui ægerrimè ferentes ſuam ejectionem; quod nec virtute, nec dolo, valebant apertiſſima irruptione tentabant, aſſumptis enim ſuæ factionis miniſtris, quodam tempore irrumpunt armati Eccleſiam, vt eum ante altare occiderent, ille conſtantiſſime it obuiam, eoſque blandè affatus leuiter corripuit, ſtupebant vbi illum aſpexiſſent, diuinum quippiam in illo conſiderantes, & procidentes in terram veniam rogant, ille clementiſſime ignoſcit, exhortatus vt quemadmodum impedimentum præſtiterant eius Eccleſiæ reformationi iis conatibus adeſſent reſtitutione, tranſtulit quoque corpora Sanctorum Wandregiſili, Ansberti, atque Wulfranni à Bononia vbi exulabant, ad propria loca vbi requieuerant, brachium etiam dicti Wandregiſili, cum aliis beati Petri Apoſtoli Reliquiis dedit Bronij Monaſterio, precibus quoque Comitis Arnulphi ſuſcepit curam paſtoralem Cœnobij Diui Bertini anno 944. in quo religio à quadraginta annis cæperat diminui, ac labefactari, quem dictus Arnulphus curauit conſecrari ab Epiſcopo Morinorum Wicfrido in Abbatem XXIV. curam gerendæ Monaſterij rerum temporalium, ne à propoſito diuerterentur corda Monachorum, ſummo itaque prouidentia adiutore Arnulpho Comite, breui tempore dictum Monaſterium priſtinæ religioni reſtituit triennio elapſo Blandinium redijt, ſubſtituens curatorem apud ſanctum Bertinum Agilonem Monachum Tillenſem, dedit illi adiutorem ex Blandinienſibus Monachis Womarum, poſt mortem Agilonis reſignauit Abbatialem dignitatem commendatione Comitis nepoti ſuo Widoni,

Abbati xxv. Is cum eſſet ob iuuentutem in tali dignitate liberior, elapſo triennium reuocatur ad monaſterium ſancti Bauonis Gandaui, ſubſtituiturque Hildebrandus nepos Arnulphi Comitis Abbas xxvj. à domino Wicfrido Morinenſis Epiſcopo conſecratus, anno Domini D. CCCC. LI. qui ſic præfuit vt eſſet omnibus virtutis exemplar, poſt annos quatuor miſſus eſt ad reparandum S. Vedaſti cœnobium non ſinè mœrore ſuorum. Suffectus in eius locum (quod non valeret vtrique intendere) Regmoldus eiuſdem monaſterij diui Bertini monachus, anno 954. & conſecratus Abbas 27. ab antedicto Wicfrido Epiſcopo. Beatus itaque Gerardus, cum octo annis Blandinio præfuiſſet anno 954. reſignauit, inſtituens Womarum eidem monaſterio Abbatem, qui perinde Comite Arnulpho benedictionē ſuſcepit Rodolphi Nouiomenſis Epiſcopi, cumque rectè cuncta curaſſet Gerardus moratus eſt aliquandiu apud dictum Comitem conſolationis gratia. Cui rurſus Comes commiſit ſingulas terræ ſuæ Abbatias Ordinis diui Benedicti numero decem & octo, vt reformaret deformatas, & religioſas in officio detineret. Quanta diligentia, quaue ſollitudine hæc curauerit non facile eſt dicere, cunctis beneuolentia ſibi deuinciebat, & vt omnes lucrifaceret, diſcurrebat per habitacula ſingulorum, ad amorem supernæ patriæ excitans audientium corda, Ex diuerſis mundi partibus confluebant ad eum Monachi, vidiſſes ad huius ſancti viri pudicos floſculos pendere ex diuerſis aluearibus apes, vt inde fauis arentibus poſſent inſtillare nectar roris melliflui. Eronium reuerſus, etſi ſenuerat, proponit ire Romam, vt ſuæ inſtitutionis Monaſterio impetraret confirmationem, & inhabitantibus fratribus, rebuſque illorum libertatem, quod facilè obtinuit. Cumque rediſ-

Digitized by Google

ſet Roma, & ſciret iam imminere extremum vitæ ſuæ diem, voluit inuiſere Cœnobia Fratrum degentium ſub ſuo regimine, ſeſeque exuere humano onere, ſubſtituendo cuilibet Monaſterio ſuo nomine procuratorem, omnibus tandem rite, & ex voto peractis, rediit ad dilectam pauperiem Monaſterij Bronienſis, cum & ibidem cuncta debito ordine, ac multa prudentia conſtituiſſet, fratrumq; pectora diuinis monitionibus, & eloquiis irrigaſſet, cepit indies graueſcere corporis imbecillitate, & perpendens iam ſibi adeſſe vitæ terminum communiuit ſe Dominici corporis & ſanguinis perceptione, iuſſitque pulſari campanam, & conuocatis Fratribus, illâ ſonante, Deo reddidit ſpiritum, anno nongenteſimo quinquageſimo nono, feriâ ſecundâ, tertiâ die Octobris.

GVTHAGONVS

Rex Scotiæ.

FVit Regis Scotiæ filius, & pro Chriſto peregrinus, Ooſtkerckæ burgo Flandriæ, in pace quieuit, ibidem cum Gillone ſocio ſepultus. Guthagoni corpus Geraldus Tornacenſis Epiſcopus anno 1159. è terra leuauit & in feretrum tranſtulit, Aldenburgenſi Dunenſi, & Quercetano Abbatibus præſentibus. Vide Meyerum anno 1062. 1065. & 1440. Plura vide apud Molanum. 3. *Iulij.*

GERVL

GERVINVS ABBAS
Aldenburgi.

17. Apr. ABbas ſecundus Aldenburgenſis in Flandria fuit, Romam & alia ſancta loca inuiſit, annis quadarginta à carnibus abſtinuit. Abbatiali demum dignitate abdicata in Waſiam ad ſyluam Cosfort ſeceſſit, vbi ædificato ſacello anno 1117. viuere deſijt. Vitam eius ſcripſit Hariulphus in Abbatiali regimine ſucceſſor. Fuit natione Flandrenſis bis Ieroſolymam ex ardore fidei adijt. Vixit in monaſterio S. Winnoci, vbi ad Presbyteri gradum ſub Teruanenſis Epiſcopo aſcendit. Implorauit etiam ſancti Nicolai opem, cum eum negotiatores Barum tranſtulerant. Abbatialis curæ benedictionem Gandaui accepit à Lamberto Tornacenſi Epiſcopo. Dæmoniacos & Lunaticos ſæpe ſanauit. In prophetia clarus erat, munera potentum, qui iniquitate præualebant, accipi non ſinebat. Ita Molanus ex eodem Hariulpho, & libro obituum Eccleſiæ Aldenburgenſis.

GVDWALVS EPISCOPVS
In Monte Blandinio iuxta Gandauum.

6. Iunij. IN Blandinio ſancti Gudwali Archiepiſcopi & Confeſſoris. Qui in Britannia Archiepiſcopus fuit, ſed relicto Epiſcopatu ſeceſſit in monaſterium ſuæ diœceſis, vbi ad centum octoginta octo diſcipulos collegit, cumque loci anguſtia ægerè ſufficeret, in hæreditate Meuoli conſtruxit aliud monaſterium adhuc viuens multis & ſtupendis claruit miraculis, quæ in hiſtoria eius leguntur.

Poſteà

Poſteà barbaris Britanniam incurſantibus, fratres Monaſterij, ſacrum corpus, multis coruſcans miraculis in Franciam pertulerunt; & Arnulphus Flandriæ Marchio ex auctoritate Epiſcopi per reuerendum & ſanctum Abbatem Gerardum, curauit transferri Gandauum ad Monaſterium beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quod Blandinium dicitur, cuius tranſlationis anima memoria fit tertio nonas Decembr. Colitur etiam octauo Kalendas Martij alia corporis tranſlatio. Ita Molanus ex Flandriæ Annalibus & hiſtoria à Surio edita.

GODELEVA VIRGO ET MARTYR *Geſtellæ*.

SEcundo lapide ab Oſtenda Flandriç opido (quod triennalis obſidio noſtra ætate nobile fecit) Giſtella ſeu Geſtella municipium viſitur, quo loco B. Godeleua paſſa eſt. *6. Iulij.* Hæc honoratis parentibus orta fuit in territorio Bolonienſi. Cùm autem ob eximiam vitæ ſanctimoniam iuxta Flandricum ſuum nomen Godelieue Deo valdè chara eſſet, maritus Bertulfus nobilis Geſtellenſis, fraude maligni ſpiritus à tempore nuptiarū acerrimo odio & grauiſſimis iniuriis eā eſt proſecutus. Vnde tandē fugâ ſibi conſulens, parentibus calamitatis ſuæ hiſtoriam expoſuit. Hinc pater à Balduino Flandriæ Comite petiit, quòd iuſtum erat decerni. Ille verò cauſam quia eccleſiaſtici iuris erat, ad Epiſcopum remiſit. Vnde Bertulfus tum Antiſtitis auctoritate, tum Comitis poteſtate ſponsā reſumpſit, optima quæque promittens, ſed multa peiora conſecuta fui, non enim oderat tantùm vt prius, ſed animum in eius necem obfirmabat. Illa interim ſe piæ cæteris Flandriæ mulieribus

quæ ſupererant exaltandam, dono prophetiæ prædicebat. Nec multo poſt Bertulfus Brugas adiens ne cordis conſcius haberetur, per duos famulos curauit eam ſtrangulari, quod factum eſt anno milleſimo ſeptuageſimo, & mox diuerſa miracula ſunt ſubſecuta. Apud piſtorem creſcebat farina, pro panibus in ſepultura diſtribuendis humus vbi necata eſt in candidos lapides vertebatur. Aqua in qua præfocata iniecta erat, à febribus & aliis morbis potata ſanabat. Similiter ſepulcrum & ſacrum Martyris corpus, varijs Dominus miraculis decorabat. Vnde poſt annos quatuordecim (*alij* octodecim) Ratbodus Epiſcopus Nouiomenſis tertio Kal. Auguſti ſacrum corpus leuauit, & ad eundem vitę & Martyrij hiſtoriam, conſcripſit Drogo Monachus & Sacerdos Giſtellenſis vide Meyerum in Annalibus. Poſtea ibidem inſignis Virginum Benedictinarum Abbatia per Bertulfi ex altera coniuge filiam conſtructa eſt. Ob bellicos verò furores, Brugenſi in vrbe moniales nunc domicilium habent. Godeliua verò etſi coniugata quorundam aſſertione virginalem caſtitatem ſeruaſſe perhibetur, qualiter olim Iulianus & Baſſiliſſa Martyres, Henricus Imperator & Cunegundis, alijque quidam ſancti factitaſſe narrantur. Exili admodum ſtatura corporis fuit, quod ſpina dorſi nuper à me apud Gandauenſem Antiſtitem Antonium Triſtium viſa, de ſacro eius corpore ſumpta ac eidem ab Epiſcopo Brugenſi Dionyſio Chriſtophori donata ſatis declarat. Vitam Godeleuæ pulchre contraxit ex Drogonis hiſtoria Franciſcus Haræus, eiuſque iſtic præcipua facta, & inter miracula diuerſa, hoc quoque narrat: cùm non pauci ex animi deuotione erga ſanctam fœminam, de terra illa vbi interempta fuerat ſecum domum aſportarent, eam poſtea in gemmas muta-

mutatam fuiſſe. Quod ne quis fabuloſum putet, ego ipſe, inquit Drogo, qui hæc ſcribo oculis meis eas gemmas vidi, & nomen Domini benedixi.

GERTRVDIS VIDVA.

FVit Adalbaldi ducis Duacenſis auia, & poſt mortem Rigomari coniugis ſui, Monaſterium in Hamatico ædificauit, vbi & anno Domini 655. viuere deſijt in Monaſterij regimine ſucceſſit ſancta Euſebia eius proneptis quam educauerat, vtraque ex Hamatico inde poſtea ad Marchianenſe ſanctę Rictrudis Cœnobium eſt tranſlata. 6. Dec.

GERTRVDIS DE POTTELLIS.

NObili loco nata, fuit decima tertia Abbatiſſa Cœnobij Ciſtercienſis Gandaui, quod vulgò portus B. Mariæ in Boloka vocitatur; mulier apud ſuos inſignem pietatis famam habens: cuius ideò vitam hic coniungere viſum fuit.

Vita Gertrudis de Pottellis Abbatiſſæ xiij. Monaſterij B. Mariæ de Biloka Ordinis Ciſtercienſis.

ANno ab incarnatione Domini 1400. die 30. menſis Iulij vacante regimine monaſterij B. Mariæ de Biloka Ordinis Ciſtercienſis, eius loci moniales inſtinctu S. Spiritus elegerunt ſibi in Abbatiſſam, venerabilem, nobilem ac deuotam Religioſam D. Gertrudem de Pottelis multis S. Spiritus chariſmatibus inſignem, nec non ab ipſa congregatione tali munere dignam in multis probatam.

Digitized by Google

Electionem canonicam ſubſecuta eſt confirmatio per R. Abbatem de Dunis, confirmationum approbatio ab ipſo R. Domino Claræuallenſi. Quàm multis verò, iiſq; præclaris S. Spiritus donis ornata fuerit Gertrudis, abundè teſtatur eius vita & conuerſatio irreprehenſibilis, per quam cunctis fuit amabilis & grata. Timorem Domini ſemper habebat præ oculis, benigna ad omnes, nulli moroſa aut moleſta. Magno erga domum Dei afficiebatur zelo; opprobria & iniurias pẽdebat nihili: aurum & argentum arbitrabatur vt ſtercora, nullis interim parcens ſumptibus, vt domum Dei ſartam tectamq; ſeruaret, potiſſimum tamen deſiderans ac laborans vt ſua familia bonum coram Deo & hominibus virtutum ac morum odorem longè lateque ſpargeret. Verum cum tunc temporis vigorem monaſticæ diſciplinæ multum defeciſſe videret, anxiebatur ſpiritu, plurimum ſolicita, totaque in id intenta quo modo & quâ viâ oues ſibi commiſſas ad ſinceram integramq; religioſæ conuerſationis obſeruantiã perduceret. Et quia conſtat nullam monaſticam diſciplinam poſſe vigere præſertim in Monaſteriis monialium abſque regulari clauſura & excluſione ſæcularium perſonarum extra ſepta Monaſterij, vt benè docet & præcipit Bonifacius VIII. in 6. decretalium tit. de religioſis: Periculoſo, habito ſuper hoc conſilio cum honeſtis & ſapientibus perſonis prudenter & viriliter totam ſe dedit ad ſalutarem præfati Pontificis conſtitutionem in Monaſterio ſuo ſtabiliendam vt per huiuſmodi regularem clauſuram inordinatos mores & ſtatui monaſtico minimè cõuenientes ſublatis occaſionibus excluderet. Item quoad abſtinentiã à carnibus iuxta expreſſam regulæ ordinationem primùm ipſa ſibi illarum eſum interdixit exemplo ſubditas id idem inducens, infirmis tamẽ & debilibus veſci carnibus iuxta eiuſdem regulæ

Digitized by Google

gulæ diſcretionem benignè indulgens. Non minori quoque zelo incenſa fuit ad eliminandum peſſimum vitium proprietatis cogens omnes ſi quid forte ſibi proprium vſurpabant, in comunes vſus referre. Quo quidem facto plurimi aduerſus ipſam tam Eccleſiaſtici quam ſæculares commoti ſunt ita vt omnibus modis & totis viribus tā bonū ac ſalutare eius propoſitum impedire conati fuerint. Vix eſt credibile quantas ſæpe difficultates & anxietates experta ſit: verum piiſſimus Dominus qui nunquam ſe quærentes, & in ſe confidentes deſerit non permiſit ipſam tentari aut tribulari ſupra id, quod poſſet, verum etiam fecit cum tentatione prouentum. Tantum enim abeſt vt pium eius deſiderium & conatus per maliuolorum inuidiam ſpe & effectu fruſtrata ſint, quin potius de die in diem Deo opitulante maius ac maius ceperint incrementum. Corda enim illorum, quos beata fœmina in bono ſuo propoſito aduerſarios patiebatur, ita Deus rore diuinæ ſuæ miſericordiæ & gratiæ emolliuit & flexit, vt qui prius ſalutare eius de reformanda religione ſtudium impedire nitebantur, mutatâ voluntate ei ad id auxilium & opem præſtarent. Quæ ſanè res fuit mutatio dexteræ excelſi, & euidens ſignum virtutis diuinæ, quod Gertrudem ab ipſis incunabulis luce gratiæ ſuæ miſericorditer & affluenter illuſtrauit, & ad opus tam ſalutare elegit. Ipſa quoque non in vacuum gratiam Dei ſe accepiſſe demonſtrauit, ſed cum aſſidua gratiarum actione & profectu ſpirituali eam in ſe quotidiè augere ſtuduit, ita vt meritò audire digna fuerit, quod audiuit fidelis ille ſeruus euangelicus Matth 25. Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Quod de Gertrude iudicium certum nobis eſt non ſolum ex relatione illarum quæ cum ipſa

Digitized by Google

conuerſatæ ſunt, verum etiam ex narratione multarum Sanctimonialium, quæ eius ab infantia conuerſationem viderant & audiuerant. Imò etiam ex ore ipſius audiuimus, quod hic exempli cauſa ſubiungimus. Cum adhuc adoleſcentula eſſet pater eius vir nobilis & illuſtris multum deſiderauit, & per plures eoſque honeſtos nuncios expetiuit locum in præfato Monaſterio de Biloka pro vna ex filiabus ſuis. Quo obtento deliberauit, decreuitque ad Monaſterium ducere non Gertrudem, ſed ſororem eius, Gertrudem verò in ſæculo relinquere. Aduerte hic inſcrutabilia iudicia Dei, & miram Gertrudis vocationem, verumque eſſe, quod ipſa veritas ait Ioannis ſexto: Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Iam conſtitutus erat dies, quo ſoror Gertrudis cum ſolemni pompa & magno amicorum apparatu (vt tunc moris erat) in Monaſterium induceretur. Sed ecce dum iuuencula valdè pretioſis, optimiſque ornata veſtibus iuxta ſtatum nobilium ad Monaſterium procederet, multum flere cæpit, quod aduertens Gertrudis, etiam ipſa plurimùm lachrymata eſt. Mirantur parentes & amici, & cauſam fletus inquirunt. Reſpondit prima (vti olim reſpondit filia Iephte) flere ſe eo quod virginitatem contra voluntatem ſeruare cogeretur: at verò Gertrudis tanquam vna de ſapientibus virginibus proteſtata eſt lachrymarum ſuarum cauſam non fuiſſe aliam, quàm quod ipſa à parentibus ſæculo deſtinata foret, neque virginitatem ſuam, quam Chriſto conſecrare deſiderabat, illibatã cuſtodire permitteretur. Quibus auditis maiori omnes admiratione & ſtupore replentur, nec quiſquam continere ſe poterat, quin ſimul collachrymaretur. Pater autem rem tantã conſiderans cauſamq; lachrymarum tam diuerſam perpendens propoſitum ſuum mutauit, Deiq; voluntati

Digitized by Google

tati reſiſtere nolens Gertrudem diuino ſeruitio in Monaſterio ſororẽ eius in ſęculo ſtatui coniugali tradidit. Quam quidem Deus multis ex legitimo matrimonio filiis donauit, maiori tamen gratia & diuinæ benedictionis fauore proſequens Gertrudẽ pluribus eam roribus ſpiritualibus lætificauit. Talis fuit eius vocatio, nũc quales fuerint conuerſationes videamus. Inprimis mirâ manſuetudine & leuitate ſpiritus prædita fuit, pacis & concordiæ ſtudioſiſſima, magno cõpaſſionis & miſericordiæ affectu ferebatur erga omnes afflictos, & in quacumq; tribulatione conſtitutos; ſobrietatis, verecundiæ, & omnis honeſtatis erat amantiſſima: publicum, & omnem vanitatem & leuitatem fugiebat, manere apud ſe & in quiete & ſilentio puram Deo conſcientiam exhibere deſiderabat; honeſtè & irreprehenſibiliter in omnibus ſe gerebat. Linguam etiam Latinam exactè callebat, omnibus grata erat & amabilis. Inerat ei columbina ſimplicitas abſq; vlla admixtione fellis & amaritudinis, nihilominus pro opportunitate & tempore iuxta monitionem Chriſti Saluatoris ſimilis erat ſerpenti in ſapientia & prudentia, ne ſancta eius ſimplicitas deſpiceretur & contemneretur tanquã fatuitas & inſipientia. Siquidẽ ob ſingularem eius prudentiã ac virtutẽ, quâ præfulgebat opinione conſtituta fuit Monaſterij burſaria ſiue diſpenſatrix, quod tamen officium valdè contra ſuã voluntatẽ ac deſideriũ vtpotè quietis & ſecreti amãs, ſolius obedientiæ intuitu ſuſcipere acquieuit. A quo etiã munere ad primum R. Domini Claræuallenſis aduentum abſolui inſtanter petiit, & obtinuit nec leuẽ ſanè ob cauſam. Multâ enim ratione huiuſce officij cernere cogebatur, quæ non niſi cum magno cordis dolore cernere poterat. Plurimũ namq; ei diſplicebat frequentia ſæcularium perſonarum ad Monaſterium aduentantiũ, diſplicebant ei

epulæ

epulæ & conuiuia, diſplicebat ei frequens excurſus ipſarum monialium ad parentes & amicos, quæ omnia directè pugnant cum perfectione religioſæ honeſtatis & diſciplinæ monaſticæ. Videns itaque nullam ſubeſſe ſpem huiuſmodi abuſus & prauas conſuetudines abolendi à prædicto officio liberari, humiliter rogauit & impetrauit eligens in abſcondito cubiculi ſui puram Deo animã præparare, ſuamque ſalutem in ſilentio & quiete operari. Nihilominus tamen dum tantopere omnem dignitatem & curas externas declinare conatur, Deo aliter diſponente ad maiora vocatum, & ad regimen totius Monaſterij licet cum magno cordis ſui dolore eligitur. Quo etiam regimine ſe abdicaſſet, niſi conſilio multorum honeſtorum ac religioſorum virorum, ſpe futuræ mercedis ac prœmij ob oculos propoſita à tali mente reuocata fuiſſet.

Suſcepto itaque regimine ante omnia ſtuduit tanquam vera Chriſti imitatrix prius opere & exẽplo facere, quod verbo docere & præcipere cupiebat, veraciter in hoc in ſeipſa exprimens, quod de Sapiẽtia dicitur Sap. 8. Doctrix eſt diſciplinæ Dei, & effectrix operum illius. Non enim ſolùm benignus ſermonibus, ſed præuio quoq; bonorum operum exemplo ſubditas ad omnem virtutem & honeſtatem, priſtinumque monaſticæ diſciplinæ vigorem inducere laborauit. Verita ne ſi ipſa quoque eos, qui ſurrepſerant, abuſus toleraret, Deus ad iram prouocatus ipſam cum grege ſuo desereret & perire permitteret. Cognito ergo eius de reformatione animo quædam ſaluberrimis eius monitis acquieſcentes reformationi conſenſerunt, eiuſque obedientiæ ſe ſubmiſerunt, aliæ verò, quæ rigorem diſciplinæ refugiebant, ad alia ſe Monaſteria receperunt, eædem tamen Deo ipſarum corda tangente poſtmodum regreſſæ ſunt, & tam ipſæ, quàm multæ aliæ ex

ſæculo

Digitized by Google

ſæculo puellæ tam nobiles quàm ignobiles eius magiſterio & diſciplinæ ſe ſubdidêre magno cum animi deſiderio ac voluptate cupierunt. Imò ſe beatos ac fœlices arbitrabantur parentes, qui aliquam ex filiabus ſuis ſub cura & regimine Gertrudis habere merebantur, quo factum eſt, vt Monaſterium breui tempore non ſolùm virtute, ſed etiam numero creuerit. Nam quando Gertrudis primùm Monaſterio præfecta fuit, non plures numero quàm 30. moniales, & 2. conuerſas inuenit, diſcedens verò ex hac vita moniales 40. & conuerſas 16. reliquit. Quas conuerſas ad tantum numerum eâ intentione recepit, vt ſeruitiis monialium & totius domus ſufficerent, nec opus eſſet ancillis ſæcularibus, quibus eatenus vſæ fuerant. Itaque facilè ex dictis datur intelligi Gertrudem hâc in parte maiorem gratiam ac benedictionem à Domino fuiſſe conſecutam, quàm ſororem eius, quia plures, meliores ac ſanctiores Deo proles ſpirituales parturiuit, quàm ſoror eius filios carnales mundo genuerit, quarum etiam, vt vera mater, ſedulam curam habuit, de omnibus neceſſariis abundanter eis prouidens, & cum pace & charitate in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis eas regens. Minimè etiam neglexit, imò valdè ſolicitè curauit pauperes in hoſpitali, plura eis præſtans, quàm habere ſoliti erant. Hoſpites etiam & peregrinos ad ſuum Monaſterium diuertentes tam eccleſiaſticos quàm ſæculares benignè habuit & honeſtè tractari iuſſit in loco eius aſſignato, ſcilicet in domo Patris confeſſarij, ita vt nequaquam laudes eius tacere potuerint, & nomen ac famam eius vbique diuulgarint. Gaudebat enim vnuſquiſq; referre quanta cum charitate & humanitate ab ea ſuſceptus fuiſſet. Et quamuis tantam curam circa ſpiritualia habuerit, temporalia tamen minimè neglexit. Quibuſdam agris ac terris per maris

inundationem perditis, ad eas recuperandas magnam pecuniæ ſummam expendit. Prætereà cùm non bonus vbique ſpargeretur rumor præſertim de belli periculo, tempeſtiuè horrea ſua prouidit, ne quid deeſſe contingeret vel conuentui, vel infirmis & pauperibus in hoſpitali, vel hoſpitibus & peregrinis, aliiſque eleemoſynis præſtandis. Huiuſcemodi ergo comitata & ornata bonis operibus peruenit tandem ad vltimum vitæ terminum, & in præſentia Reuerendi Domini de Nyzeele, & totius conuentus curam ac regimen domus in eorum manus reſignans paulò pòſt in Domino obdormiuit anno ætatis ſuæ 60. cuius exequias deuotè & honorificè celebrauit prædictus Dominus de Nyzeele; corpuſque in Choro Sacerdotum condi fecit, eò quod ipſam non minori honore ac reuerentiâ dignam iudicaret quam ſi Sacerdos fuiſſet, quòd de filiis quoq; Dauidis refertur in libris 2. Regum nempè capite octauo: vbi omnes filij Dauid dicuntur fuiſſe Sacerdotes, id eſt, Principes, vel eodem honore digni quo Sacerdotes. Simili honore ac reuerentiâ digna fuit hæc deuota & venerabilis fœmina, quæ meritis ſuorum operum ac præſertim obſeruatione ſanctæ regulæ ita præfulſit, vt ſicut Christus Dominus inter ſuos Apoſtolos, ita ipſa inter Abbatiſſas, quæ eam præceſſerunt, decima-tertia & præcipua fuerit.

Requieſcat in pace.

GORDANIVS
Aquiſcincti.

16. Oct. COlitur Aquiſcincti à Monachis Benedictinis ſecundo lapide à Duaco, quo loco vixit ante Monaſterij illius exſtructionem, quod & ipſius conſilio à nobilibus viris

Digitized by Google

viris Gualtero Montigniaci & Sigero Corcellæ Dominis anno 1079. fuit ædificatum. Vbi etiam vitam ſecuti meliorem ſe ſuaque omnia Deo conſecrarunt. Huic autem Monaſterio variæ collatæ ſunt reliquiæ potiſſimum à Warino Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, quam donationem ſigillo ſuo confirmauit anno 1239. & à Roberto Iuniore Comite Flandriæ inter eas autem reliquias recenſentur brachium S. Georgij, pes alter S. Marthæ, & annulus quo traditur Deipara virgo Ioſepho deſponſata; eundem locum in ſuo exilio per aliquot dies decorauit B. Thomas Cantuarienſis Epiſcopus.

GVIVINA VIRGO

VIrgo Flandrica fuit & vitam Eremiticam Brugis apud Quercetum, vulgo ten Eeuchoute, egit; poſtea Bigardas locum quietiorem eligit, vbi claret miraculis; colitur 14. Kal. Ianuarij. 8. *Dec.*

GODEHARDVS.

FVit Epiſcopus Hildeshemenſis & à Molano in Indice Sanctorum nomē eius ponitur ad diem quartum Maij Arnekæ in occidentali Flandria non procul à Caſſeto celebris eius eſt memoria. 5. *Maij.*

GOSWINVS

Aquiſcincti.

FVit ſeptimus Abbas Aquiſcinctinus. Is parentibus relictis vir ſummæ humilitatis Aquiſcincti Monaſticam vitam eſt profeſſus. Vbi in matura ætate cantum 9. *Oct.*

Digitized by Google

cum pueris diſcere non erubuit, cumque in ſacrificio m ſſæ cœco lumen reſtituiſſet: prohibuit ſe ob hoc miraculum laudari quia etiam Deus per multa animalia miracula edit, ſtatim factus eſt primarius prior, & Aluiſo ad ſedem Atrebatenſem adſumpto omnium ſuffragijs Abbas ſucceſſit; Tunc orationes preces chori, ſilentium, menſæ dormitorij, & vt paucis dicam omnium communitatem ſummè amauit regulares hoſpites in conuentu reficiebat, ſæculares ab officinis conuentus longè remouebat. Euocatus à præſule Remenſi, vnico comite ſacellano iter perfecit, & nummus quæ vnicum habebat pauperi datus, ſtatim alterum in marſupio diuinitus lucrabatur, ita vt non defecerit ei nummus pauperibus largiendus, donec Rhemis eſſet; quod miraculum, hiſtoriæ ſcriptor, audiuit etiam ex ipſo Goſwino. Interfuit Remenſi concilio in decrepita ætate. Vocatus ob pietatis & doctrinæ famam ab Eugenio Tertio qui ei quotidie de ſuis ferculis mittebat. Denique Petrus Remorum præſul audiens ſanctum Abbatem graui morbo adfectum eſſe, ſtatum nuntium miſit Aquiſcinctum vt tanti patris benedictionem acciperet. Cui Alexander B. Goſwini ſucceſſor beati viri emigrationem reſcripſit propter ſingularem autem ſanctitatem multis eius ſucceſſoribus dictum eſt. Accipe baculum Abbatis Goſwini, vt cuius ſuſcipis officium imiteris exemplum. Inſtitutus fuit Abbas anno 1137. Obijt 1166. Ita Molanus.

GVRDINELLVS
Duaci.

16. *Oct.* Officium commune habet Duaci ad S. Amatum. Hunc quidam aſſerunt eſſe eundem cum S. Gordanio,

Digitized by Google

danio, & ex inſula Aquiſcinctenſi à Sigero duacum eſſe tranſlatum verum Aquiſcinctenſes ex relatione antiquorum didicerunt ſanctum Gordanium, adhuc ſepultum iacere ad valuas ſui templi ſub monumento marmoreo, quod introeuntibus eſt conſpicuum Duacenſes vero Canonici S. Gurdinelli corpus vna cum S. Oneſimo ſibi à ſueſſionibus donatum aſſerunt, cum S. Amati corpus ab eis circa annum Domini 896. referetur ceſſantibus bellis. vide Miræum 5. & 13. Maij.

GVDILA

Morſellæ iuxta Teneramondam.

GVDILA partem habuit Witgerum ComitemCondati ac Verginiaci Dominum: vt Baldericus Epiſcopus Tornacenſis in Chronico Cameracenſi. Lib. 1. cap. 16. & Petrus Diuæus rerum Brabanticarum lib. 1. tradunt. Mater illi fuit S. Amelberga: cuius oſſa cum ſeptem alijs corporibus Sanctorum, Binchij in Hannonia adſeruãtur capſis argenteis incluſa. Sorores habuit S. Rainildem, quæ Sanctis apud Gallas in Hannonia quieſcit, & S. Pharahildem quæ Gandaui colitur, itemque fratrem S. Emebertum Epiſcopum Cameracenſem. Optimis moribus eſt inſtituta Niuellis à S. Gertrude Abbatiſſa & Cognata quæ ipſam de ſacro fonte ſuſceperat. Quâ defunctâ ad paternas ædes cum rediiſſet, ſacellum S. Saluatoris in Morſella pago prope Teneramondam ad Scaldim ſito die ac nocte ſedulo frequentare ſolebat, vnde nocte quâdam dæmon vt eius pietatem turbaret, lucernam exſtinxit, quam pediſſequa præferebat: ſed Gudila fuſis ad Deum precibus lumen extinctum reuocauit atq; inſtau- 8. Ian.

 rauit,

tauit. Vita demum ſanctiſſimè tranſacta ſepelitur in Ham Brabantiæ vico. Caroli Magni Imperatoris æuo è terra eleuata, inde tranſuecta eſt Morſellam condito ibidem monialium Cœnobio, poſteà an. 980. Bruxellam tranſlata. Vide plura apud Miræum in faſtis.

GEDERICVS, vel vti placeat aliis, WEDERICVS.

In Blandinio iuxta Gandauum.

MOnachus fuit Blandinienſis, de quo hiſtoria Affligenienſis Cœnobij hęc tradit. Predicante in Aloſtenſi opido Domino Wederico S. Petri Gandenſis Monacho Blandinienſi, qui quaſi ſtella matutina in medio nebulæ lucens in effugandis errorum obſcuritatibus apparuit, conuerſi ſunt quinque milites in eo videlicet loco, vbi nũc Monaſterium ſitum eſt, inter Brabantiam, id eſt, patriam Aloſtenſem, & Brabantiam. Hic milites per multa tempora latrociniis inſiſtentes tandem reſipuerunt, doctoriſque ſui conſilio animati adierunt ſanctum Annonem Archiepiſcopum Colonienſenſem, à quo impetratâ veniâ peccatorum, & in remiſſionẽ eorum recepto ab Archipræſule mandato, eo loci vbi latrociniis omnia profanarant, domũ in qua Deo in perpetuum ſeruirent, conſtruxerũt, locuſq; Deo conſecratus eſt anno 1083. à Gerardo II. Camera. Ep.

HERMES

Rotnacenſis.

28 *Aug.* ANno 132. Romæ S. Hermes vrbis Præfectus martyrio coronatur. Hiſtoriam fusè apud Adonem Vienneuſem

nenſem vide. Anno 829. corpus S. Hermetis Romæ ſub Gregorio IV. & Ludouico Pio Imperatore inuenitur, & in Baſilicam S Marci transfertur Anno 851. corpus Roma Indam (quod nunc eſt Monaſterium Benedictinorum S. Cornelio ſacrum prope Aquaſgrani in Diœceſi Colonienſi) transfertur, per Lotharium Imp. Ludouici Pij filiũ. Anno 860. die 6. Iulij S. Hermetis corpus Inda Rotnacum ad Baſilicam Canonicorum, à S. Amando Traiectenſis Epiſcopo fundatam, eſt tranſlatum per Ludouicum Imp. Lotharij iam nominati filium, qui & Reliquias SS. Cornelij Papæ, Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis, & S. Cæleſtini apud Rotnacenſes depoſuit amplâ dote additâ; adeò vt alter poſt S. Amandum Eccleſię Rotnacenſis fundator Ludouicus Imperator à Rotnacenſibus habeatur. Vide Miræum.

HIDVLPHVS EPISCOPVS.

HVnc claro Neruiorum genere ortum Pipinus Francorum rex petente clero ac populo Treueris Epiſcopum conſtituit. Poſt aliquot autem annos cum tribus Monachis Spinulo, Ioanne, & Benigno, in Diœceſis Tullenſis ſiluam, quæ dicitur Voſagus, vel Vogeſus ſeceſſit, vbi & obiit. Vitam eius ſcripſit Bruno Tullenſis Epiſcopus, pòſt Leo IX. nuncupatus, vt teſtatur Molanus in Autographo natalium Belgicorum, quod Louanij exſtat apud Philippum Zangrium Bibliopolam Scripſit & idem Bruno de Hidulpho officium Eccleſiaſticum. Claruit autem in eo ſaltu non ſolum ipſe Hidulphus, ſed & ſodales eius, antenominati, variis miraculis. 11. *Iulij.*

HILDE-

Digitized by Google

HILDEBERTVS ABBAS ET MARTYR
Gandaui.

1. *Octo.* AMandus Traiecti ad Moſam Epiſcopus, vir apoſtolicus in Eccleſia Gandenſi quam opibus præcipuè B. Bauonis fundauerat, non Monachos initio, ſed clericos ſæculares ſimul viuentes conſtituit. Cùm autem illi à primæua ſua ſanctimonia degenerare, ac licentius viuere inciperent, amotis illis Monachos ibidem Ordinis S. Benedicti collocauit, dato illis Abbate Florberto raræ pietatis viro, qui primus vtriuſque ſimul Monaſterij D. Petri Gandenſis & Blandinienſis curam & adminiſtrationem geſſit. Sic conſtituta Eccleſia magnos ſenſim in virtute puræque religionis cultu & obſeruatione profectus fecit. Adeoque abundare etiam cæpit viris doctrinæ ac religionis laude præſtantibus, & cùm anno Chriſti 752. Gandaui ciuilis motus propter Sanctorum imagines excitatus eſſet, multique eas tamquam idololatriæ inſtrumenta, è templis eijciendas clamárent, Hildebertus VIII. Abbas Gandenſis, fautoribus impiiſſimi Cæſaris Conſtantini cognomento Copronymi, fortiter ſeſe opponeret, piumq; imaginum cultum aduerſus hæreticos, non modo verbis eruditiſſimis, ſed ſanguinis etiam ac profuſione vitæ confirmaret. Quamobrem & inter beatos Martyres haud immeritò relatus eſſe creditur.

HILDVARDVS.
Teneramondæ.

29. *Dec.* EST in ea Flandriæ vrbe inſigne Canonicorum beatæ Mariæ Collegium, quod anno 1106. Ringotus Caluus

mus à Gandauo, opidi Dominus fundauit, Adelwidis eius vidua pòſt auxit, & Odardus Cameracenſis Epiſcopus anno 1118. confirmauit. In hoc templo oſſa ſancti Hilduardi Epiſcopi & Chriſtianę Virginis à multis retro ſæculis adſeruantur. Hilduardum ſunt qui ſcribunt Tullenſem Epiſcopum fuiſſe. In tabulis tamen Epiſcoporum Tullenſium, quas Ioannes Chenutius cum reliquis Galliæ anno 1621. Pariſijs edidit, nomen eius non inuenitur. Obijt autem circa annum 750. Dickeluennæ teſte Meyero, inde ſæuientibus Normannis Teneramondam ſub annum 846. tranſlatus.

HILLONIVS

Patronius Iſeghemij.

FVit is primùm S. Eligij Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopi miniſter & diſcipulus, vt cõſtat ex Audoëno vitæ S. Eligij ſcriptore apud Suriũ. Pòſt Abbas factus Solenniaci in territorio Lemouicenſi in Gallia, ibidē nonagenarius in Domino obdormiuit Iſeghemij qui pagus eſt diœceſis Tornacenſis in Flandria, Comitatus titulo à Philippo II. Rege Catholico in Maxæmiliano villam à Gandauo decoratus, vicinis quoque in locis colitur vt Apoſtolus ac patronus exſtat ibidem vitæ eius hiſtoria manuſcripta. *7. Ian.*

HERIMANNVS ET BERTILDIS.

DE ijs ita Sigebertus anno M.V. mortuo Othone Duce Ducatus Latharingiæ datur Comiti Godefrido filio Godefridi Ardeunenſis. Ille Dux Godefridus dictus

eſt Eyhamenſis. Erat autem Eyham opidum & caſtrum munitiſſimum & ſedes principalis Ducatus regni Lotharici, qui Dux Godefridus duxit Matildem filiã Hermanni ducis Saxonum relictam Balduini Comitis. De qua idem Godefridus genuit tres filios Godefridum, Godzilonem & Hezcelonem. Hezcelo Comes poſt mortem ducis Caſtrum Eyham cum Prouincia Bracbatenſi ſuſcepit, & diu tenuit. Hic eum genuit filiũ nomine Herimannũ & filiam nomine Bertildem, qui dum adhuc iuuenes eſſent defuncti ſunt, & in Eccleſia apud Felſicam ſepulti: qui poſtea multis miraculorum ſignis claruerunt, ſed à Virdunenſibus Monachis furtiuè ablati ſunt. Cæterum infra Caſtrum Eyham idem Godefridus cum Matilde Monaſterium in honore S. Marię deputatum Canonicis fundauit. Extra vero Herimannus filius (verba ſunt Chronographi Cameracenſis) duo Monaſteria ſtruxit, vnum S. Laurentio, alterum S. Saluatori. Citat hæc Lindanus in ſuis de Teneramonda eiuſque territorio Commentarijs Antuerpiæ apud Hieronymum Verduſium editis.

HVNFRIDVS EPISCOPVS

Ipris.

8. *Mart.* PRimùm egit Monachum Prumiæ in Arduenna, poſtea S. Floquino in Epiſcopatu Morinenſi ſeu Teruanenſi ſucceſſit, & vnà Abbas Bertinianus fuit: à Normannis ſede ſua pulſus, Nicolaum I. Papam conſuluit; cui is reſpondit cap. Sciſcitaris, cauſſa 7. quæ. 1. Obijt circa annum 871. vt ex Ioannis Iperij Chronico Bertinienſi cape 16. datur intelligi. Terouana anno 1553. funditus exciſa corpora SS. Hunfridi & Maximi Epiſcoporum Ipras in

in Flandria cum parte dotis Epiſcopalis, a e prouentuum Eccleſiaſticorum, ſunt tralata: vbi hodieque communi feretro incluſa adſeruantur. Ita Miræus in Faſtis. Vide & eadem die Molanum, & Meyerum ad annum Chriſti 868.

IOANNES AGNVS.

Gandaui.

Dominicanus Gandenſis cum ob grauiſſimam tempeſtatem nemo ex nautis ſe mari committere auderet, Deo cui mare & venti obediunt cum fiducia inuocato veſtem ſuam ſuperiorem quam cappam vocant ſuper aquas extendit & ſigno crucis communitus, veluti ſuper ſolidam terram ſtetit perque medios fluctus vnà cum ſocio ſuo ex Flandria traiecit in Zutbeuelandiam Inſulam ad pagum Elſdyck Gouzæ opido vicinum. Similia leguntur de S. Mauro D. Benedicti diſcipulo, & de SS. Hyacintho & Raimundo Dominicanis. De alijs inſuper l. 2. apum cap. 29. Cantipratanus agit. Fuit autem Ioannes Agnus, vir omni, vt ait Choquetius virtutum laude excellens, quique vitæ innocentiam morumque puritatem ita coluit, vt reipſa ſanè nominis ſui vim & ſignificationem magno pietatis ſtudio rectè ſit interpretatus & illum ipſum agnum ſcelerum expiatorem ob oculos mentemque aſſiduè habuerit, quem beatiſſimus Baptiſta & venturum nunciauit & adeſſe monſtrauit: raram eius in Deum confidentiam incredibilem prædicandi Euangelij ac fidelium ſalutis promouendæ affectum, ſummamq; ad ſuperiorem iuſſa capeſſenda animi promptitudinem docent ea quæ ex monumentis Cœnobij Gandenſis ad me miſſa ſunt. Ita Choquetius. Obijt vero Ioannes 1313. miraculis in vita & poſt eam clarus. 1. Aug.

Digitized by Google

IOANNES EREMITA

Gandaui.

29. *Sept.* NAtione Gandauenſi vulgò Eremita S. Claudij nuncupatus, ideò fortaſſis, quod ad S. Claudij fanum in Burgundia celebre, piam ſæpius peregrinationem inſtituiſſet. Ob ſanctitatis opinionē Regibus Galliæ & Angliæ tunc inter ſe belligerantibus carus fuit. Obiit autem anno 1419. Trecis in Campania mortuo cadaueri in eo cœnaculo vbi obierat mero meridie ignea columna diutiſſimè apparuit. Sepultus eſt ibidē apud Dominicanos, & è terra eleuatus per Ludouicum Epiſcopum Trecenſem petente Ludouico XI. Gallorum Rege: qui & per litteras inſtitit pro eius Canonizatione vt fusè narrat Nicolaus Camuzæus in Promptuario antiquitatum Trecenſium anno 1610. edito. Plurimis eum viguiſſe ſuo tempore miraculis teſtatur idem Ludouicus Galliæ Rex in ſuis ad Romanum Pontificem litteris. Inter alia ſuo patri maſculam ſpopondiſſe prolem quæ poſt ipſum pacificè regnum Galliæ poſſideret, Anglorum verò Regi nolenti pacem, citam prædixiſſe mortem, quæ & ſubſecuta eſt. Vide dictum Promptuarium fol. 322. & ſequentibus.

IDA VIRGO ET MARTYR.

Gandaui.

20. *Iun.* HAc die, inquit Molanus, depoſitio ſanctæ Idæ, cuius corpus quieſcat Gandaui in Paroeciali Eccleſia ſancti Ioannis, qui nunc eſt Cathedralis S. Bauonis. Natalem tamen eius Canonici non celebrant, quid autem fecerit

Parochia-

Digitized by Google

Parochialis clerus ante eorum aduentum ignorant. Illud tamen in confeſſo eſt magnam olim in Eccleſia ſancti Ioannis peregrinationem multamque populi deuotionem in die obitus ſanctæ Idæ ad eius altare ac tumbam contigiſſe. Sed quæ poſteà ſuperuenerunt in eandem Eccleſiam Diuorum Bauonis, Leuini & aliorum celeberrimæ, certiſſimæque Reliquiæ, videntur memoriam ſanctæ Idæ velut obſcuraſſe, cùm autem Cornelius Ianſenius primus, fœlicis recordationis Epiſcopus feretra Eccleſiæ ſuæ viſitaret, quæ annis ferè duobus ob Gueſiorum perſecutionem, in locis ſecretis ac ſubterraneis latuerant, in vnius ſcrinij ſchedula reperit ſcriptum Reliquæ ſanctæ Idæ Virginis & Martyris, cùm tamen hiſtoria, quæ in manuſcripto quodam libro in veteri Eccleſia Diui Ioannis ſeruabatur, habeat eam matrem fuiſſe ſanctæ Vrſulæ, & de martyrio ipſius nullam faciat mentionem, ſed vtrumque hoc eſt, Reliquiæ in munda lintea, & in nouum feretrum ſunt tranſlatæ.

IOANNES MOTA.

EQues auratus, vir religioſiſſimus & ſanctus nominatur ab Harduino in manuſcripto Diuorum Flandriæ catologo.

IONATVS

Abbas Marchianenſis.

AMandus Traiectenſis & Aubertus Cameracenſis Epiſcopi Monaſterium Marchianenſe à B. Rictrude Adalbaldi Ducis Duacenſis vidua conſtructum in honorē *1. Aug.*

SS. Petri & Pauli ſexto Kal. Nou. dedicarunt. In eo Cœnobio primum Monachis ad ſeruiendum Deo conſtitutis paſtor vigilantiſſimus datus eſt Ionatus beati Amandi diſcipulus. Verum poſtea rationi conſentaneum viſum eſt (quoniam ſua bona B. Rictrudis huic loco conſecrarat) vt ibidem & ſanctimoniales collocarentur, quæ quidem per annos 333. vel circiter Eccleſiam Marchianenſem rexerunt. Poſt Normannicam vaſtationem Leduinus Abbas Vedaſtinus, petente Balduino Flandriæ Comite Monachos Benedictinos eo in loco conſtituit. De Ionato verſus citat hos Miræus ſcriptos in ambitu chori Marchianenſis:

Diui Ionati corpus hic ſanctiſſimum
Reconditur, &c.

IVLIANVS CONFESSOR,

Gandaui.

19. Mar. NVmeratur, inquit Molanus in natalibus hac die, à Nodgero Epiſcopo Leodienſi inter Sanctos qui in Wintershouen cum B. Landoaldo Archipresbytero quieuerunt, & inde Gandauum ſunt auecti; ſcribitque eum & ſimul Landradam virginem, ac B. Adrianum martyrem iuſſu diuinæ viſionis eleuatos fuiſſe per Sarabertum Presbyterum ex luto & ciſternis, quibus ob Normannicam vaſtationem fuerant incluſo. Reperta ſunt etiam in ciſternis nomina eorum exprompta in breuiculis. In hac autem tranſlatione, quæ facta eſt tertio Nonas Martij Sigeburgis Hydropica matrona ſoſpiatem recepit.

IDA

IDA VIDVA.

FVit ea Comitiſſa Boloníenſis ad Oceanum in tractu Caletano mater Godefridi Bullonij & Balduini Regum Hieroſolymitanorum: quæ in Flandriæ Monaſterio Waſtenſi iacet ſepulta virtutibus & miraculis clara. Ad hunc locum petierat ipſa Monachos quoſdam mitti, à beato Hugone Cluniacenſi Abbate. Plura vide apud Iperium in Chronico manuſcripto Bertinenſi, & apud Ioannem Becanum libro primo Originum Antuerpienſium. Idæ pietas ac liberalitas erga Monachos Afflígemienſes in Brabantia ex eo ſatis diplomate agnoſcitur, cuius partem apud Miræum habes hâc die in faſtis. 13. Apr.

IDABERGA VIRGO.

EIus meminit Gazæus in ſanctis diœceſios Ipranæ enarratque Reliquias eius allatas cum corpore ſancti Oſwaldi ex Anglia ad Monaſterium ſancti Winoci anno Incarnationis Domini 1038. par Balgerum eiuſdem Cœnobij Religioſum.

IOANNES
Abbas Blandinienſis.

DEfuncto beato Florberto primo Blandinienſis Cœnobij Abbate, ſucceſſor ei datus eſt per ſanctum Amandum Blandinij fundatorem Ioannes vir religione ac moribus venerandis. Vitam eius ampliorem in ſerie Abbatum Blandinienſum Antiquitatibus Gandauenſi-

uenſibus inſectam inuenies. Obiit Ioannes anno 658. vti in ſuis quoque faſtis è manuſcripto Gandauenſis Cœnobij Chronico Miræus annotauit.

IACOBVS LACOPIVS MARTYR.

9. *Iulij.* DE Iacobo Lacopio martyre vide Miræum hâc die, vbi de Martyribus anno 1572. paſſis Gorcomij Hollandiæ ciuitate agit. Fuit Lacopius natus Ald- nardæ, & Ordinis Præmonſtratenſis Religioſus. Illorum Martyrum hiſtoriam fusè & eleganter ſcripſit Gulielmus Eſtius Theologus Duacenus, compendiosè Petrus Opmeerus cum notis Henrici Sedulij Franciſcani.

IRENÆVS

Tornaci.

20. *Iun.* A Gazæo in Sanctis eiuſdem diœceſios fuiſſe perhibetur auus Diui Eleutherij Epiſcopi Tornacenſis, vir potens & opulentus, paſſuſque martyrium paulò pòſt mortem ſancti Piati, vt in vita eius legitur. Eius tamen neque Miræus neque Molanus in natalibus meminit.

ILERIVS EPISCOPVS.

Brugis.

14. *Oct.* QVieſcit Brugis ad S. Donatianum, cum Reliquiis D. Maximi eo allatus, in vna capſa cum eo continetur, in cuius ſuperiori parte ſculpti ſunt Epiſcopi duo cum

ſubſcri-

Digitized by Google

ſubſcriptis nominibus, S. Maximus, S. Ilerius. Natalem diem Canonici ignorant.

LANDOALDVS.

Gandaui.

FVit Romanæ Eccleſiæ Archipresbyter, & ideò è vulgari iudicio vti S. Hieronymus pingitur vt Cardinalis. Eum ex vrbe ſanctus Amandus in Gallias ſecum adduxit, XIV. Kal. Aprilis anno 646. obdormiuit, & in Wintershouen, prædio ſibi ab Apro Comite ſancti Lamberti patre, olim collato, ſepelitur in Baſilica à ſe ædificata, atque in honorem ſancti Petri dedicata. Ita Chronicon Gandenſe. Landoaldus autem Gandam aduectus eſt per Womarum Abbatem anno 980. Plura vide apud Molanum de egregiis viri factis, & in officiis Sanctorum Eccleſiæ Gandauenſis. *19. Mar.*

LANDRADA.

Gandaui.

SAncta Landrada virgo beato Lamberto Epiſcopo Leodicenſi poſt martyri familiariſſima, beato item Willibrordo Epiſcopo deditiſſima, Cœnobium ſacrarum Virginum propriis ſumptibus & patrimonio in ſaltu Beyla conſtruxit temporibus Pipini & Carolomanni eâdem inter reliquas Christi Virgines ſanctam Amelbergam præclaræ nobilitatis & ſanctitatis Virginem dignis moribus informauit. Cæterum ſanctæ Landradæ corpus vnà cum ſancti Landoaldi ſociorumque corporibus ex villa Wintershouen ad beati Bauonis Gandenſe Mo- *8. Iulij.*

 naſte-

Digitized by Google

naſterium anno 980. tranſlatum eſt. Ita Chronicon Gandenſe, habes apud Molanum, Miræum, & in officio Diuorum Eccleſiæ eiuſdem.

LEVINVS EPISCOPVS ET MARTYR

Gandauenſium Patronus.

12. *Nou.* LEVINVS in Scotia (forſan Hibernia, quæ olim Scotia maior, ad diſcrimen illius quæ nunc Scotia minor & Hiberniæ olim pars) nobili genere natus, admodum adhuc puer non modo ſupra ætatem eximiâ pietate conſpicuus, verum etiam miraculis clarus fuit: adultæ autem ætatis factus, præceptoribus vſus eſt, primùm egregio Dei Sacerdote Benigno, deinde ſuſceptore ſuo è ſacro fonte, magno illo Auguſtino Anglorum primo Epiſcopo, à quo tandem ſacro etiam Sacerdotij ordine decoratus, tantâ cum laude eo in ſtatu verſatus eſt, vt eum Scoti haud multo poſt in Archiepiſcopum ſuum elegerint, quod munus tametſi Rege populoque compellente ſuſceperit, & magno cum fructu per annos aliquot ſuſtentauit: poſteà tamen maluit infidelibus ad Chriſtum conuertendis operam dare (ad quam rem mirâ Spiritus ſancti gratiâ præditus erat) quam in Epiſcopatu ſuo vni tantum Prouinciæ quietius & minori cum labore præeſſe. Itaque relicto in Scotia loco ſuo magnæ ſanctitatis & virtutis Syluano Archidiacono, ipſe Euangelij plantandi cauſſâ tribus cum diſcipulis Foliano, Helia, & Kiliano Oceano traiecto deuenit in Flandriam, & ingreſſus Cœnobium Gandenſe à beato Amando Epiſcopo tunc recens exſtructum humaniter à Florberto Abbate

bate fratribuſque exceptus eſt anno incarnationis Dominicæ 633. decimo ſeptimo Kal. Aug. vbi cum B. Bauonem triennio tunc defunctum magnis coruſcantem miraculis inueniret, memoriam viri celeberrimam, & præſentia ſanctitatis teſtimonia admiratus triginta continuos dies ſuper eius ſepulchrum Miſſarum ſolemnia celebrauit, ſui multis precibus & Monaſterij Gandenſis curam illi commendans. Poſteà autem inde prædicationis cauſſa profectus, innumeros ad Chriſti fidem verbo & exemplo, magniſque adiunctis miraculis conuertebat. Sed virtutem vmbrâ ſuâ ſtatim inuidia ſequitur: homines enim impij quibus Chriſtus & pietas omnis erat exoſa animaduertentes ſanctum Epiſcopum tantam hominum multitudinem ad nouam religionem erroribus priſtinis vitiiſque ſpretis adducere, atque adeò ſuis ipſorum prauis cupiditatibus non parùm obſiſtere, miris modis eum perſequebantur; nec omninò deſiſtebant donec linguam eius extractam canibus deuorandam proijcerent (quæ tamen illi mox miraculo reſtituta fuit) ac tandem apud Heſcham Flandriæ vicum multis vulneribus ſaucium etiam obtruncarent anno ante memorato pridie Id. Nouembris. Hæc ex officio Gandenſis Eccleſiæ. Plura apud Miræum & Molanum vide.

Fuit & alius Leuinus Francus de tertio Ordine Minorum, qui paſſus eſt martyrium Quadri in Babylonia, vt ſcribit Marcus Vliſſiponenſis in Chronico ſui Ordinis anno 1345. qui fortaſſis Belga fuit, ex ea parte Occidentalis Franciæ, in qua Leuini nomen celebre eſt. Quam nunc Flandriam nuncupamus.

LEVINA

22. *Iul.* LEVINA virgo Anglicana ſub Euberto Anglorum Rege floruit, & martyrium fecit ſub tempore Theodori VII. Cantuarienſis Archiepiſcopi, qui anno 690. obijt. E terra eſt eleuata per Edelinum Antiſtitem, ac demum Bergas S. Winoci quod eſt Flandriæ opidum tranſlata. De eius miraculis exſtat liber Drogonis Epiſcopi Morinenſis.

LIETBERTVS

Epiſcopus xxxij. Cameracenſis.

23. *Iun.* GErardo primo in Epiſcopatu ſucceſſit Lietbertus, qui ex Brachatenſi patria, nobili ortus proſapiâ à progenitoribus educandus puer commiſſus eſt ſub eiuſdem Gerardi diſciplina. Fundauit Monaſterium ſancti Sepulcri, quod eſt Benedictinorum in vrbe Cameracenſi, & in Eccleſia ſancti Auberti eiuſdem vrbis Canonicos regulares cum Abbate conſtituit eiectis clericis nimis negligenter & inordinatè tunc Deo ſeruientibus, quos Ansbertus Epiſcopus xxvi. ibidem collocarat. Viuere deſiit 1076. Vitam fuſe proſequitur Baldericus libro tertio in Chronico Cameracenſi. Multas dotauit Eccleſias beatæ Virginis, ſancti Auberti, ſancti Vedaſti, ſanctæ Crucis, Gaugerici, Andreæ Apoſtoli, in monte Eligiano Canonicos quoqué regulares conſtituit omnibus ſeſe formam iuſtitiæ & veritatis præbuit, inimicitias vitabat cautiſſimè, ferebat æquiſſimè & finebat citiſſimè. Amorem pecuniæ totius ſuæ ſpei certiſſimum venenum eſſe crede-

Digitized by Google

credebat. Diligenter ſeruabat vulgare prouerbium nemini facias, quod pati non vis. Amicis vtebatur ad rependendam gratiam, inimicis ad patientiam omnibus ad beneuolentiam. De illo plura vide apud Molanum 23. Iunij, & Locrium in Chronico Belgij ad annum Redemptionis 1077.

LVCIA.

De Lvcia licet nihil apud Molanum in Natalibus, & Miræum in Faſtis inueniam. De ea tamen ex Iacobo Gulielmitarum Brugenſium Præfecto hæc habet Harduinus. Martiano imperante in vndecim millia Virginum ſæuitum eſt, inter quos Flandberti Flandrorum Regis coniux Theodora, Germana Luciaque interemptæ ſunt. 22. Oct.

MAÇARIVS PATRIARCHA ANTIOCHENVS.

Contra peſtem Tutelaris. Gandaui.

Relicto Epiſcopatu Antiocheno Hieroſolymam ad pia loca viſenda ſe contulit, variis demum Prouinciis luſtratis in Belgicam venit, floruitque miraculis Machliniæ, Malbodij, Cameraci, Tornaci & alibi. Gandauum nouiſſimè profectus ibidem in Bauonica Benedictinorum Abbatia annum ferè ſubſtitit, ac peſte demum correptus anno 1012. piiſſimè obdormiuit, Anno autem 1067. corpus omninò integrum Balduinus Nouiomenſis & Lietbertus Cameracenſis Epiſcopi 7. Idus Maij eleuarunt. Philippo Francorum Rege, Balduino Inſulano 10. Ap.

Flandriæ Comite, eiuſque filio Balduino Hannoniæ Comite & aliis proceribus adſtantibus. Hiſtoria vitæ & elenationis Sigeri tunc Abbatis mandato ſcripta apud Surium legitur. Anno 1615. ſacra eius oſſa Montes Hannoniæ ad propulſandam luem epidemicam, quâ tunc ea vrbs grauiſſimè laborabat, ſunt tranſuecta magno ciuium bono. Quæ quidem feretro argenteo adfabrè elaborato, à Montenſibus in beneficij accepti memoriam incluſa menſe Iulio Anni proximè ſequentis magnâ pompâ Gandauum ſunt reuecta, vbi in Baſilica Cathedrali religiosè adſeruantur. Ita Miræus in Faſtis. Vitam autem eius hactenus (aliter enim eam Surius habet) non editam è manuſcript. Bibliothecæ Bauonianæ Codice hîc adiungendam duxi.

Sequitur vita B. Macarij, prout in libris Geſtorum eius continetur.

BEATVS MACARIVS ex Armeniæ nobilioribus ducens Originem puericiæ ſuæ tempore litterarum ſtudijs traditus eſt, & dum ſcientijs & virtutibus præ cœteris clareſceret, tandem in Antiochenæ ſedis Archipræſulem, quæ ciuitas eſt Syrorum metropolis, eligitur. Tamquam bonus Paſtor æternæ ſalutis viam ſanctitate vitæ docuit, & verbo ſalutari, eius namque ſanctitate ex miraculis claruit. Beati viri mappulam, quâ compunctionis lacrymas exterſit tangit leproſus, & ſanatur. Victus eius ſobrius, Camelorum pilis vtebatur, lectulus non delitioſus eleemoſynis pauperes recreauit, dum ſua manu cibum vel potum miniſtraret, ſtatim comitabatur ſalus pertingens aquam, quæ fluebat de manibus ſe lauantis, ex integro recedebat ſanus. Beatus vir ex virtutibus

tutibus

Digitized by Google

tutibus & ſignis exiſtens humilior, eius creſcente famâ, dum à populis plus ſolito frequentaretur, omnia ſua pauperibus erogans, dignitatem Antiochenæ ſedis cuidam Eleutherio venerabilis memoriæ commendauit, retenta ſibi tantummodo Epiſcopali benedictione. Sic pauper Chriſti effectus fines ſuæ cognationis egreditur quatuor fideles viros ſecum aſſumens, viſitat terram ſanctam, ſingulaque loca in quibus Saluator noſter ſigna faciebat. A ſancto Ioanne Patriarcha honorifice ſuſceptus eſt, Iudęis & Paganis conſtanter verbum veritatis prędicans pro qua mori paratus erat, ab ipſis graues contumelias & vuluerum plagas Dei pro amore patienter ſuſtinet in tenebroſo carcere recluſus, in modum crucis, cuius gloriam prædicabat ſuper terram extenſus, clauis configitur, ſed reijciente terra clauos etiam vinculis conſtringitur, lapidem nimio feruore caudentem ſuper pectus nudatum ponunt, ſicque eo recluſo diſcedunt. Ab Angelo Dei carcer illuminatur vir ſanctus de pœnis liberatur, ſanatur, conſolatur, ex carcere ducitur, atque ſuorum perſecutorum conuerſio prænuntiatur. Beatus Chriſti miles talibus armis ad pugnam renouatus, hoſtes iterum indubius aggreditur fidei doctrinam prędicando. Iudæi & Saraceni eius ſolutionem, liberationem ac ſanationem ſtupefacti mirantur à cuſtodibus carceris cuncta diuinitus peracta narrantur, tandem cumpuncti aſſentiunt veritati, veniam dein eum commiſſis petunt fidem & baptiſma ſuſcipientes percurrit fama iuſti regionem, diuerſus fit ad eum populi concurſus. Sua oratione Saraceno cuidam nobili redditur vſus loquendi, ac aridæ manus integritas, qui cum aliis pluribus ſacrum baptiſma recepit poſtquam ſacra loca viſitaſſet S. Ioanni Patriarchæ cum cæteris fidelibus valedicens, Chriſtum

imitan-

Digitized by Google

imitando parentes fugit & patriam. Parentum ſuorum legati, prout in mandatis habebant, exequentes, quia eum blandimentis reducere nequeunt, cum iniuria conantur, quorum aliqui ſubitâ percutiuntur cæcitate, aliorum, ſicut extenderant ſuper Epiſcopum, brachia ſuſpenduntur in aëre, ſuorũ equi ſparſum diffugiunt: ſed dum humiliter cum grandi eiulatu pro ſanitate B. Archipræſulem inuocant, ſua oratione brachia laxantur, cæcis viſus redditur & iuſſu benigni patris recedunt. Cæco peregrino verſus Ieruſalem tendenti lacrymoſis precibus viſum impetrat. Dum in quodam loco ſitis anguſtia quidam laboraret, ac pluribus in locis fodientes præ nimia terræ ariditate aquam inuenire non poſſent, vir Dei ſuis precibus fontem ſuper effluentem emanare facit. Bawariam veniens ab Adalberto nobili & diuite viro caritatiuè per annum hoſpitatus eſt; cuius vxor præ nimio languore nec linguam nec verba reſoluere valens, per beatum virum loquelæ redditur & ſanitati. In eadem hoſpitalitate duo iuuenes, virtutem in ijs, quæ vir ſanctus tangebat conſiderantes, auaritiâ moti rapiunt ſibi manutergium vſui miſſæ tanti Sacerdotis conſecratum, loco eius ſimile, ſed non æquale, reponentes linteolum, quatenus cum eo miracula facientes diuitias ſibi acquirerent, Dei voluntate grauiſſimo febrium ardore deprehenduntur; ſed dum compuncti delictum ſuum confitentur, vir ſanctus ipſis condolens, abſtulit cruciatus eorum. Dei autem ſeruus conſiderans quod in Regione Boiariorum eius fama clareſceret, & fauoribus populorum extolleretur benedicens hoſpitibus ſuis cum hoſpitio, recedebat cum ſuis; dum Maguntiæ ciuitatis mœnibus appropinquaret, homicidam ab inimicorum turba eum inſequente ſuis orationibus liberauit, nec deſtitit

ſtitit vir Dei donec hoſtem hoſtibus vſque ad oſculum conciliaret. Poſt aliquot dies Coloniam veniens, benignè à quodam hoſpitio ſuſcipitur, qui diutius aurugnus languore vehementer depreſſus cibi potuſque appetitum faſtidiens, per beatum virum ſanatus eſt, deinde poſt aliquas terrarum deambulationes Machliniam deuenit, vbi ante medium noctis periculoſo incendio ſacris eius meritis finem imponit. Apud Malbodium recreationis cauſſà ſanguine minutus eſt, quem ſacrum Cruorem dum quidam nequam ſeruus, in beati viri deſpectum in quendam immundum locum proieciſſet, lepræ morbo percuſſus omnibus vitæ ſuæ diebus ita permanſit. Cameracum perueniens ſanctæ Mariæ Baſilicam intrauit, quatenus ibidem in orationibus pernoctaret, quem iniurioſè cuſtos expellit obice & ſerà oſtium muniens, quod vir ſanctus patienter ferens, ante fores Eccleſiæ benignâ deuotione ſe proſtrauit. Deus autem volens oſtendere, cuius meriti foret excluſus Eccleſiæ ianuam reſerauit, quam tamen non intrauit. Cuſtos horis matutinalibus rediens vt oſtium apertum vidit, & peregrinum præ foribus orantem, non erat in eo piæ admiratione ſpiritus, manè res omnibus innotuit, hoſpes excluſus ex claro clariſſimus haberi cæpit, ſed talibus non apponens animum inde diſceſſit. Ciuitas Tornacenſis ſacrum peregrinum hoſpitio ſuſcepit. Seditio inter ciues die quâdam exoritur periculoſa, quam princeps patriæ ſenior Balduinus cum armatis militibus ſedate non potuit, à qua quidem ſeditione Tornacenſes ſuâ oratione cum lachrymis ad Deum fusâ ſic compeſcuit; vt nullus eorum contra ſe deinceps manus leuare præſumeret, ſed antequam ab inuicem diſcederent ſingulos ſingulis vſque ad pacis oſculum conciliauit. Poſt aliquot dies Gan-

Digitized by Google

dauum ingrediens, Cœnobium ſancti Petri, quod Blandinium dicitur prius viſitat, deinde Cœnobium ſancti Petri, quod ſanctus Confeſſor Bauo ſuis illuſtrabat meritis. Per Abbatem Ereniboldum & Fratres Cœnobij vir ſanctus ſatis benignè cum ſuis ſuſceptus eſt hoſpitio, fraternæ ſocietati interdum admittitur, atque indies carior ac familiarior redditur placet omnibus nec vlli videtur onerosa eius ſancta conuerſatio, inuitat omnes ad meliora eius animi pia deuotio, non ſolùm Fratres, ſed etiam Prouinciales confirmat quotidie ipſius ſacra benedictio, frequentabat Eccleſias Gandenſis Prouinciæ Miſſas in ſingulis celebrans, pluribus ſtuduit prodeſſe, ſibi collata pauperibus erogabat. A populo vndique frequentatur, ſequentes etiam iuſti veſtigia de pluribus liberantur incommodis. Aqua enim ex manibus ſe lauantis defluens, nequaquam erat virtutibns carens, manum etiam lenis adtactus infirmitate depreſſis efficax erat & ſaluberrimus, & quibus erat altior fidei deuotio ad promerendam ſalutem ſufficiebat ſola Epiſcopalis benedictio. Tandem non abſque graui mœrore Patris Erembolldi ac Fratrum repatriare deſiderat, & vno tantùm contentus comite licentiam accipiens tranſmigrauit vicinum portum, ſtatimque iter eius præpeditur, inflatione pedum infirmatur, lecto detinetur, in tantum vt etiam de vita deſperaretur. Inſinuat ſe velle referri ad S. Bauonis hoſpitium, vbi cum ingenti Fratrum exultatione reuocatur. Quâdam nocte verò examini iacens ſimillimus Sanctorum meruit conſolationibus in eadem Eccleſia quieſcentium viſitari. Mane facto ſurgit ſanus ea quæ viderat, exponit Fratribus, atque per indicum ſanitatis eos reddidit certos viſionis ſicque in eodem Cœnobio quinque menſium curriculo demoratus, nihilominus patriam

adire

adire iterum eſt tentatus. Audita ſiquidem eius diſceſſione in ſancto Paraſceue Paſchæ confluebat ad eum multitudo totius Prouinciæ, cupiens ab eo Paſchalibus communicare Sacramentis, ac tanti Pontificis benedictionibus intereſſe, lætifera denique peſtilentia eâ tempeſtate crudeliter ſæuiebat in populo veſcis ſubito excreſcentibus in palatis hominum, vt mortuos tumulare vix ſufficeret trepidus labor viuentium. Placet populo cum triduano ieiunio etiam puerorum & iumentorum ſuffragia Sanctorum in Gandenſi portu quieſcentium miſericorditer expetere. Dum ſanctus Macarius genibus flexis ſingultibus & lachrymis pro populo ſæpius orat, ipſe piâ Dei prouidentiâ etiam commune periculum incurrit, & tactus morbo tam crudelis peſtilentiæ in primis amiſit officium linguæ, ſed ſtatim in Chriſto recipiens ſpiritum prophetiæ, nutibus & ſignis, quibus poterat, præter ſe, & alios duos eo morbo prædixit neminem deinceps interire. Quod rei exitus verum eſſe probauit, deinde vſu loquendi diuinitus recepto, cum fratribus ingreſſus Cryptam, in honorem beatæ Mariæ Virginis dedicatam, ante altare ſancti Pauli deſignabat ſibi baculo locum ſepulturæ. Iamque inſtabat feria ſexta dies tertius ieiuniorum, efferuntur corpora Sanctorum ab vtroque Cœnobio, vbique gemitus & lachrymarum inundatio, quatenus ſuper omnes fieret generalis ſuperna miſeratio. Benignus Deus de cœlo ſuper tantam multitudinem miſericorditer reſpexit, & tantæ cladis moleſtiam in ſolo beato Macario penitus extinxit. Relocantur ſedibus ſuis Sanctorum corpora, deploratis aliquandiu peccatis ſuis redit vnuſquiſque ad propria. Archipræſul verò cum ſuis hoſpitibus regreditur ad Monaſterium, atque hora refectionis virtute quâ poterat, ingreſſus refectorium cùm nihil

fratres videret ſumere, præter modicum panis & aquæ, caritatiuè omnes obſecrando, & iubendo impetrauit mutationem ieiunij, quibus & ipſe confidens, hilarem ſeſe omnibus exhibuit, ex ſibi appoſitis caritate magis, quam neceſſitate aliquantulum ſumpſit. Sicque eis vltimum vale faciens epiſcopaliter benedixit, & pænè morbo deficiens, vix ad hoſpitij cellam receſſit. Deputatur ei peruigil cuſtodia fratrum, quatenus cæteris in dormitorio quieſcentibus beatæ illius animæ nuntiarent exitum. Ipſe verò iam inſtante migrandi horâ in lecto reſedit, expanſiſque manibus & erectis in cœlum luminibus ſeſe Domino Deo ſuo nimia ſuffuſione lachrymarum attentius commendauit, ſuffragia Sanctorum, & tutelam Angelorum piis precibus ad ſe deducendum inuitauit fratribus congregatis caput terræ reclinauit, & inter pſallentes & orantes fœliciter ſpiritum exhalauit. Nec refellitur veridica eius prophetia; ipſe quippe ſolus omnium vltima peſtilentis morbi occubuit victima. Corpus dignâ compoſitione feretro ſuperpoſitum, piâ deuotione populi defertur intra Cryptam, vbi ipſe vnius deſignauerat ſepulturam, honoratur muneribus, irrigatur lachrymis, datur libertas oſculis manuum & pedum. Dumque fratres terræ commendarent tantæ precioſitatis theſaurum dici non poteſt quibus illa pia multitudo fletibus deduxerit tempus exequiarum, quouſque expletâ tumulatione vnuſquiſque redibat ad ſua cum gaudio, ex fiducia ſecum ferens tanti viri patrocinium. Migrauit ex hoc ſæculo gaudiis coniunctus Angelorum quarto Idus Aprilis anno Dominicæ Incarnationis milleſimo duodecimo.

Sequi-

Sequitur de B. Corporis eleuatione.

DVm beati Macarij ſepulturæ locus variis coruſcaret miraculis, deſideratur à populo, ſpecialiter ab Abbate & Fratribus ſacri corporis eleuatio. Tunc temporis Abbas Sigerus tertius poſt Eremboldum vir venerabilis & circumſpectus Balduinum Nouiomenſem Epiſcopum, quia diœceſis eius erat, Liethertum Cameracenſem Epiſcopũ, Abbates & aliquot Clericos ad explendum inuitat negotium die conſtituto. Aderat etiam cum optimatibus ſuis Comes Balduinus, ſub quo pueritiæ ducens annos adfuit claręindolis Rex Francorum Philippus, Adela quoq; vxor Comitis & filius eius Hannonienſium Comes, populi verò ex diuerſis Prouinciis confluxit innumerabilis multitudo, Effoditur beatum Corpus, & ſuper pretioſum pallium membratim exponitur tantæ pretioſitatis theſaurus. Nullius viſcera præteribat lachrymoſa deuotio. Sed dum iſta coram paucis glorioſè geruntur in terris, omnipotens Deus coram omni ſecluſa multitudine exulis ſui meritum glorioſius oſtendere dignatur in cœlis. Duæ ſiquidem circulatæ vrbes ſubito adparuerunt in aëre ſimiles Coronarum, quarum vna maior cum populo totum ambiebat atrium, minor verò totius templi, in quo ſanctum Corpus leuabatur, perluſtrabat ambitum, in cuius medio ſignum ſanctæ Crucis coruſcabat aureo fulgore conſpicuum. Quibus viſis immenſus populi clamor ad cœlum tollitur, cum lachrymarum effuſione pectora feriuntur, ab iis qui deforis erant, intuſque concluſis inclamatur & oſtenditur mirabile ſignum. Imponitur Scrinio beatum Corpus, non iam humano ſed di-

uino iudicio inter cætera Sanctorum corpora collocandum. Sicque totius Eccleſiæ reſeratis foribus dum Epiſcopus Nouiomenſis hymnum impoſuit Te Deum laudamus, non abſque periculo vitæ quorundam irruit omnis populus. Idcirco pro liberiori acceſſu ſanctum corpus defertur ad montem ſancti Pancratij, ibidem varia populi munera offeruntur; irrecuperabile ſibi detrimentum deputat & indignitate ſecluſum, quiſquis cum ſuis nequiuiſſet honorare muneribus. Et quia populum campus ille, quamuis latiſſimus capere non valet, ideò pro maiori amplitudine deducitur ſacrum corpus ad montem ſancti Leuini, in quo loco beatum corpus tantâ populi multitudine conſtipatur & opprimitur, vt niſi ab eis ſagaci ingenio Abbatis tolleretur, ipſa ſanctarum Reliquiarum noua clauſura vſque ad diſſolutionem periclitaretur. Qui aſcendens equum cum fratribus quibuſdam & viris virtutum non ſine maximo labore etiam militaris manus, beatum corpus referri fecit ad Monaſterium, & in Oratorio ſanctæ Dei Genetricis, quod eſt infra clauſtri ambitum decenter collocari. His itaque diuinâ pietate peractis, fœlix illa dies ſole ruente clauditur, populus laſſus & lætus ad ſua vnuſquiſque regreditur. Fratres autem coram ſacro corpore fletibus, hymnis & laudibus noctem duxerunt inſomnem, gratiâ noſtri Saluatoris Iesv Chriſti cooperante. Cui ſit honor, poteſtas, & imperium per æterna ſæcula. Amen.

MARCEL-

MARCELLINVS PRESBYTER

Gandaui.

EGINHARTVS Caroli Magni Cancellarius pôſt Ludo- *2. Iun.*
uico Pio eius filio admodum familiaris anno 826. fit Abbas XV. Bauonici ſiue Gandenſis Cœnobij, habuit is notarium Ratcleicum nomine quem ad conquirendas Sanctorum reliquias Romam miſit. Is varijs locis piè luſtratus tandem diuino fretus auxilio in crypta Baſilicæ S. Tuburtij Martyris, quæ eſt via Lauicana tertio ab vrbe lapide corpora SS. Marcellini & Petri Martyrum reperit atque in Gallias tranſtulit. Ita mſc. Chronicon Gandenſe. Eas itaque reliquias in Galliam Belgicam allatas idem Eginhartus partim in Gandauenſi S. Bauonis Monaſterio. Partim in Hanonienſi Benedictinorum apud Hannones Cœnobio collocauit. Vide Miræum 2. Iunij.

B. MARIÆ VIRGINIS

MEMORIA

In Monte Blandinio.

ECcleſia Paroecialis eſt in Monte Blandinio ſita & Abbatiæ Blandinienſi vicina, ac D. Virginis ſacra olim iuxta, vt omnis ille tractus, nunc vrbi incluſa, miraculis etiam in hodiernum vſque diem clara. In illa quotannis Dominicâ feſtum Aſſumptionis ſequente ſolemnis ad honorem eiuſdem Virginis peragitur ſupplicatio ad quam populi Gandauenſis concurſus frequens eſt, cum nouendiali obſeruantia & deuotione. Sunt & alia

alia plura in diœceſi Gandauenſi Paroecialia templa, Parthenio nomine honorata; ea ſequuntur; extra opidum Mariekerka, Baſſeuelde, Eertuelde, Cluſen, Deſſelberghe B. Virginis ad Niues, Deſſeldonck, Crubeke, Dackenam, Exaerde, Moerbeke cum S. Antonio Melſene, Nieukercke, Rupelmonde, Temſche cum S. Amelberga, Waeſmunſter cum SS. Petro & Paulo, Oſſeneſſe, Teneramundæ Eccleſia collegiata. In opido Aldenardenſi Eccleſia Pamelenſis, Singhem cum S. Bauone, Aſperen, Woorteghem, Donſana Eccleſia cum S. Ægidio, Leerne cum S. Ioanne Baptiſta, Zeeuerghem, Nazarette, Bellem, Ruyſlede, Regularibus Eccleſijs, & ſacellis in Epiſcopato Gandauenſi pluribus exceptis, quæ titulum eiuſdem Deiparæ Virginis habent.

MARTINVS TVRONENSIS
Epiſcopus.

11. *Nou.* IS Tornaci in monte S. Martini (vbi nunc eſt Abbatia Benedictinorum) mortuum ad vitam reuocaſſe & apud Fanopinenſes templum idolorum euertiſſe traditur. Arborem inſuper piorum dæmoni dedicatam, quæ fano erat proxima excidit. Cui rei cum Antiſtes loci cæteraque Gentilium turba primum obſiſteret, tandem conſenſit modo ipſe ruentem exciperet, quod factum ſe confiſus in Domino intrepidè pollicetur. Itaque eo in loco vinctus ſtatuitur pro arbitrio ruſticorum, quo arborem eſſe caſuram nemo dubitabat. At ille ſuper ſe ruenti, eleuata manu ſalutis ſignum oppoſuit, tum vero ita in diuerſam partem ruit, vt ruſticos, qui in tuto loco ſteterant pœnè proſtrauerit. Addit Seuerus Sulpitius lib. 1. cap. 1.

Digitized by Google

cap. 10. neminem ferè ex immani illa multitudine Gentilium fuiſſe, qui non impoſitione manus deſideratâ, in Chriſtum crediderit. Sed & Martinum eas regiones, deſtructis fanis, Eccleſijs & Monaſterijs repleuiſſe. Plura apud Cognatum vide lib. 1. cap. 32. hiſtoriæ Tornacenſis.

MARGARITA IPRENSIS.

Vixit hæc virgo ex præſcripto tertiæ regulæ S. Dominici, & à ſacris illi confeſſionibus fuit B. Zegerus Inſulenſis, annos vnum & viginti nata ad Dominum anno 1237. migrauit, vitam ſcripſit Thomas Cantipratanus, & eidem Zegero inſcripſit, quam è codice Auberti Miræi euulgauit Hyacinthus Choquetius. Vide & Cantipratanum lib. 2. Apum cap. 48. quinquennis ſacroſanctam Euchariſtiam à Deo inſtructa ſuſcepit. Septennis diſciplinis & ieiunijs carnem macerauit, bis per hebdomadam tantū pane & aqua corpus ſuſtentabat, decennis Chriſto crucifixo compaſſa ſpinis ſe flagellabat, ei votum caſtitatis facienti cum tribus coronis apparuit, vti & virgo mater quæ ei ſua dimiſſa eſſe peccata aſſerebat. Ab aſpectu virorum horruit, ſilentiū impensè coluit, pacem cum omnibus ſectabatur, à vino carnibus & cibis delicatis penitus abſtinuit, ieiunia etiam ad triduum protrahebat, ſomnus ei fuit parciſſimus, noctē cum die in orationibus tranſigebat etiam feſſa aliquando ab Angelis eleuata, vt eleemoſynam facere ſæpe mendicauit; ab ipſo vero Chriſto Euchariſtiam etiam accepit antè Paſcha per quatriduū ieiunauit, variæ ei à Chriſto & Deipara reuelationes factę ſunt. Chriſtum crucifixum in Paraſceue vidit. Mortem ſuam prædixit: moribundæ Chriſtus apparuit, multiſque 20. Iul.

T

que poſt mortem miraculis coruſcauit. Vide plura apud Hyac. Choquetium in vitis Sanctorum Belgij.

MAVRONTVS CONFESSOR.

5. *Maij.* DVaci (quod opidum eſt Flandriæ ad Scarpum fluuium Academiâ anno Redemptionis humani generis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo inſtitutâ clarum) in vetuſta Deiparæ Baſilica quatuor Sanctorum corpora, Amati videlicet, Mauronti, Oneſimi & Gurdinelli adſeruantur; de quibus hi verſus ante Orcheſtram leguntur:

Corpora Sanctorum ſanctiſſima quattuor horum
Hæc habet Eccleſia pignora cara ſibi.
Aſtra tenent animas cæleſti nectare potas.
His vt iungamur Chriſte Ieſu fer opem.

MAVRONTVS beati Adalbaldi Ducis atque ſanctæ Rictrudis filius, Amatum Senonenſis Eccleſiæ Præſulem, exulem ſanctum ex Perona Veromanduenſi ad Auſtrouandenſem pagum duxit, & in Hamatico primùm Monaſterio, pòſt in Broilo honorificè tractauit, ac demum ſepeliuit in Monaſterio, quod ibidem hortatu eiuſdem Præſulis exſtruxerat. Quod Monaſterium ſæuientibus Normannis inde anno Incarnationis Dominicæ octingenteſimo ſeptuageſimo Duacum ad Deiparæ ædem in Burgo ſeu veteri caſtello ſitam cum ſancti Amati corpore eſt tranſlatum, lapſuque temporis pro Monachis Benedictinis Canonici ſunt ſubſtituti. Obiit autem Maurontus anno Domini ſeptingenteſimo

Digitized by Google

ſimo primo in Marchianenſi Monaſterio, quod mater eius ſancta Rictrudis excitarat. Vnde Duacum anno nongenteſimo tranſuectus, eam vrbem non ſemel ab hoſtibus defendit, vt nominatim anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto ab inſidiis & armis Gaſparis Colignij Hugonottorum in Gallia anteſignani. Quâ de re Arnoldus Wionus patria Duacenſis in Ligno vitæ libro tertio die ſextâ Ianuarij conſuli poterit. In eodem ſancti Amati templo adſeruatur brachium beati Adalbaldi Ducis, quem dixi ſancti Mauronti patrem fuiſſe, itemque ſanctę Gertrudis quæ auia illius extitit. Vide plura apud Locrium 701. in Chronico.

MAXIMVS EPISCOPVS.

Ipris.

CVm anno ſalutis 1553. Teruana per Cæſarem Carolum funditus exciſa eſſet Corpora ſanctorum Hunfridi & Maximi Epiſcoporum Ipras in Flandriam cum parte dotis Epiſcopalis ac prouentuum Eccleſiaſticorum ſunt tranſlata, vbi hodieque communi feretro incluſa honorificè adſeruantur. Fuit autem Maximus Epiſcopus Rienſis in Prouincia, & Abbas Monaſterij Lirinenſis cum Valerio Diacono & Ruſtico Subdiacono Terouanam venit, vbi & diuino nutu ſubſtitit. Obiitque anno quadragenteſimo quinquageſimo. Habet & Eccleſia collegiata Antonienſis iuxta Tornacum Reliquiarum partem. Vide plura apud Gazæum. 8. *Mar.*

Digitized by Google

MEDARDVS.

Tornaci.

8. *Iun.* MEDARDVS vir cum rara vitæ ſanctimonia, tum miraculis iam inde à pueritia nobilis, Veromanduorum Epiſcopatum diu precibus fatigatus adminiſtrandum ſuſcepit; quorum ſedem (quod metropolis auguſta à Wandalis & Hunnis euerſa eſſet) Nouiomi, opido propugnaculis egregiè munito, collocauit. Cæterum quo tempore Nouiomenſem ille Eccleſiam gubernabat, ſanctus Eleutherius Tornacenſium Epiſcopus anno 523. vitam cum morte commutauit: cui iam ſeni quoniam ſanctus Medardus fuerat adiutor, clerus ac populus Tornacenſis ſtatim vt iuſta beato Eleutherio fuere perſoluta, Medardum ſibi Epiſcopum dari poſtularunt, nec deſtiterunt reluctantem & multa excuſantem obſecrare, donec adiuuante etiam Remigio Metropolitano, cæteriſque Prouinciæ Epiſcopis, Rege etiam & proceribus ſuâ auctoritate rem promouentibus, animum viri expugnarunt, & vt curam Eccleſiæ ſibi commendatæ ſuſciperet, peruicerunt. Victus igitur tanto bonorum omnium conſenſu, vtriuſque Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit, Flandroſque gentē tunc temporis Syluestrē quindecim annorum ſpatio, docendo, inſtando, orando erudiuit, & magnis laboribus præfractos feroceſq; animos ab impietate & barbarie ad manſuetiorem viuendi rationem per Chriſti Ieſu doctrinam perduxit. Qua in re compos voti factus ex hac vita anno Domini 556. iuxta Sigeberti calculum emigrauit. Vide apud Cognatum & Miræum.

MOMME-

Digitized by Google

MOMMELINVS

Epiſcopus Nouiomenſis ac Tornacenſis.

EX Luxouio Burgundiæ Monaſterio venit in Franciam, vt Dei verbum ſeminaret, ibi à Rege Lothario honorificè exceptus eſt cum SS. Bertino & Ebertramno. Hi poſtea S. Audomarum tunc Morinenſem Epiſcopum cuius compatriota atque conſanguineus erat S. Bertinus, adierunt, tam Epiſcopi amore, quàm quod patriæ linguam vtpote Teutonici bene ſciebant. Quos Audomarus lætè ſuſcipiens ſuos in prædicatione voluit eſſe conſortes. Intereà vir quidam illuſtris Adroaldus nullum habens filium cum Audomaro tractare cæpit, qualiter poſſeſſionum ſuarum Eccleſiam hæredem faceret, & villam, quæ Sithiu vocatur, cum ſuis appenditiis eidem obtulit Epiſcopo, vt ibi xenodochium conſtrueret. Iuſſu igitur beati Audomari tres viri prædicti Eccleſiolam conſtruxerunt, & cellam in territorio eiuſdem villæ, in loco qui adhuc propterea vetus vocatur Monaſterium, ſuper fluuium Agniona anno Domini ſexcenteſimo vigeſimo ſexto. Interea diſcedente Achario Epiſcopo vrbis Nouiomi ad Epiſcopatum eiuſdem vrbis Momolinus prouehitur, & Ebertramnus Monaſterio ſancti Quintini à Momolino præficitur. Ità ex Iperij Chronico Miræus. Vide de præclaris viri virtutibus plura apud Cognatum in hiſtoria Tornacenſi. 16.Octo.

NICOLAVS DOMINICANVS.

Brugis.

9. *Aug.* LEctor Fratrum Prædicatorum in Cœnobio Brugenſi Flandriæ, vir deuotus & religioſus graui preſſus morbo, quo vita exceſſit obnixè rogatus à fratre lachrymante, vt ſi quid conſolationis interiùs accepiſſet à Domino ſe participem facere dignaretur maximo exſiliens gaudio ait: Verè accepi quia Dominus noſter IESVS Chriſtus morti meæ ſe adeſſe ſpopondit, cui frater & ego inquit per eundem Dominum te obteſtor, vt digito vel nutu mihi cùm videris eum præſentem eſſe inſinues, ille reſpondit, lubenter faciam, dummodo Dominus ipſe conceſſerit, die poſtmodum tertiâ ingraueſcente morbo tabellæ dato ſigno pro more infirmitorum fratres conceſſerunt. Eius igitur fœlicem deceſſum fratribus præſtolantibus & orationi inſiſtentibus. Nicolaus eleuans manum, prætenſoque in certum locum digito circumfuſis oculis cum cantu leniſſimo pſallere cæpit in Galilæa IESVM videbimus ſicut dixit, Alleluia, quo dicto protinus exſpirauit: ita Leander Albertus libro nono folio centeſimo nonageſimo ſexto, & ex eo Choquetius, quod & commemorat Cantipratanus libro ſecundo Apum capite quinquageſimo parte decimo. Obiit Nicolaus anno Redemptionis humani generis milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto.

ODO

Digitized by Google

ODO EPISCOPVS

Aquiſcincti.

FVit Epiſcopus Cameracenſis, quieſcit in Eccleſia Aquiſcincti albo marmore tectus antea primus Abbas Tornaci ad ſanctum Martinum, qui ipſemet ſcribit in libro de blaſphemia Spiritus ſancti, quod Aquiſcinctus ſit illi dulce refugium exilij ſui, dum poteſtate regia à ſede Cameracenſi pulſus eſt, quia virgam & annulum, quæ conſecratus ab Eccleſia acceperat, dono Imperatoris (qui erat Henricus Quartus) iterato accipere renuit. Obijt 13. Kal. Iulij, & mox Amandus prior litteras ſcripſit mœroris plenas de ſanctitate defuncti Patris quarum exordium eſt; Aquiſcinctenſis Cœnobij humilis congregatio, &c. Vide Molanum. 19. *Iun.*

ODO DOMINICANVS

Gandaui.

FLoruit Gandaui magnâ apud Deum & homines pietatis celebritate quem qui eum vidit Cantipratanus lib. 2. Apum teſtatur priuſquam ſodalicio S. Dominici adſcriberetur fuiſſe iuris prudentiæ laude & publicâ profeſſione clariſſimum, poſteà quam vero ſacram religionem eſt complexus & monaſticam exorſus inſigni victoria repugnantem ſpiritui carnem ita domuiſſe refert vt ſolo pane & legumine ad finem vſque vitæ corpus aluerit, quod mancipij loco & habuit ſemper & ita aſſiduè caſtigauit vt futuris retro ſæculis præclarũ reliquerit par- 1. *Aug.*

Digitized by Google

parſimoniæ & abſtinentiæ exemplum. Meminerunt eius cum ſplendido ſanitatis teſtimonio Leander, Albertus, Michaël Pius, &c. è quibus coætaneum & Odoni familiarem Cantipratanum audire licet. Alium ego vidi fratrem Odonem nomine Ordinis Prædicatorum non iniure virum ſanctum & bonum, qui raro volebat comedere quod ſeminali fluxu ab animali deſcenderat, ſed olere vel piſce corpus ſobrium reparabat hinc in ingreſſu ordinis vitæ ſuæ terminus reuelatus eſt, & hunc fratribus certo die ante obitum reuelauit. Ita Hyacintus Choquetius in vitis meminit & Bzouius ad annum Chriſti 1240.

ONESIMVS

EPISCOPVS SVESSIONENSIS

Duaci.

13. *Maj.* FVit ſeptimus illius vrbis in Gallia Antiſtes & prædeceſſorem habuit Mercorinum, qui Agrippinenſi contra Euphratem concilio anno 370. interfuit; Mercorinum voco ex mſc. codice Duacenſi ad ſanctum Amatum: non Mercurium vt vulgò legitur, inquit Miræus. Eius, itemque ſancti Gurdinelli Confeſſoris corpora circa annum redempti orbis octingenteſimum nonageſimum ſextum ex vrbe Sueſſionenſi Duacum ſunt tranſlata: vbi quieſcunt in collegiata diui Amati Eccleſia. Vide de ſancto Oneſimo Baronium Annalium. Tom. 9. anno Incarnationis Chriſti 841. vbi eius tranſlatio prima deſcribitur, facta per Carolum Regem Ludouici Pij filium.

OSVAL-

OSVALDVS REX

Bergis S. Winoci.

RES eius geſtas Beda lib. 3. hoſtoriæ Anglorum cap. 6. proſequitur, eiuſdem oſſa anno Domini 1221. ab Adamo Morinorum Epiſcopo ad Bergenſe ſancti Winoci Monaſterium ſunt tranſlata, cum reliquiis B. Iriſbergæ vnde inter Martyrum memorias annuè à Bergenſibus legitur. Duodecimo Kal. Iulij glorioſa traſlatio S. Oſualdi Regis & S. Idabergæ Virginis. Quâ etiam occaſione ibidem de B. Oſwaldo extat vitæ liber, & Drogonis ex Bergenſi Monacho Morinorum Epiſcopi ſermones duo. Perijt tamen per bella & vaſtationes Gallorum reliquiarum eius magna pars. *5. Aug.*

PHARAHILDIS VIRGO

Gandaui.

PHARAHILDIS egregiæ ſtirpis egregius floſculus patrem habuit Theodoricum virum nobiliſſimum, matrem verò ſanctam Amelbergam. Frater illi fuit (ſed ex alio Patre videlicet Witgero Comite: duos enim Maritos S. Amelberga habuit) ſanctus Emebertus Cameracenſis Epiſcopus, ſorores autem S. Rainildis & ſancta Gudila vrbis Bruxellenſis patrona: vt ſcribit Baldericus Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus in Eccleſiæ Cameracenſis Chronico. Pharahildis à S. Gertrude Abbatiſſa Niuellenſi cognata ſua ſanctè inſtituta, à teneris annis pietatem egregie coluit, & in bonis operibus ad ex- *4. Ian.*

tremum vſque vitæ diem ſeriò perſeuerauit. Anno autem à Chriſto nato ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto Agilfridus Abbas Monaſterij ſancti Bauonis Gandenſis, idemque Epiſcopus Leodienſis ſacrum Pharahildis corpus ex Lotharingia ad ſancti Bauonis Monaſterium adtulit, ad annum poſtea nongenteſimo quadringenteſimo. Petente Arnulfo Magno Flandriæ Comite, pars corporis S. Pharahildis, inde ad Baſilicam in eius honorem Gandaui recens tunc extructam, eſt tranſlata; tradente ſancto Gerardo Bronienſi ac Gandenſi Abbate. Eſt autem Gandaui inſigne Canonicorum ſanctę Pharahildis collegium, quod ex vetuſta illa Baſilica, per Caluinianos vaſtata, in Parœcialem ſancti Nicolai in foro ſitam noſtrâ ætate eſt tranſlatum.

PANCRATIVS MARTYR

Gandaui.

12. Maj. PAſſus eſt Romæ in via Aurelia ſub Diocletiano ætatis ſuæ anno decimo quarto. Pars reliquiarum eius Vltraiecti ad ſanctum Saluatorem, & alibi alia eius habentur. Sunt etiam anno Redemtionis humani generis nongenteſimo octogeſimo quinto Reliquiæ eius ex vrbe ad Cœnobium Gandenſe delatæ per Eremboldum tunc Monachum poſteà Abbatem cuius rei teſtimonium apud Molanum vide.

PIATVS

Digitized by Google

PIATVS MARTYR TORNACI.

Seclinij.

PIATVS ſeu PIATO Presbyter & Martyr cum beato Quintino eiuſque ſociis ab vrbe Roma in Galliam prædicationis cauſſa perrexit, ac poſteà in perſecutione Maximiani martyrio Tornaci conſummato migrauit ad Dominum anno ſalutis 299. Ei potiſſimum Chriſtianiſmi initia cum ſanctis Chryſolio & Euberto aliàs Eugenio Tornacenſes debent. Quieſcit Seclinij, quod eſt Flandriæ municipium in collegiata Canonicorum ſui nominis Baſilica. Tranſlatio Piatonis martyris etiam annuè recolitur quarto Kalendas Nouembris, quam ſanctus Eligius Epiſcopus fecit, qui etiam monumentum Martyris mirificè exornauit, vt ex cultu ſepuclri oſtenderet, quantus ſit Martyr apud Deum in curia cœli. Quod porrò ad picturam attinet quidam eum propter Apoſtolatum ſuum, vt Epiſcopum honorant & depingunt, de quo Molanum vide ad diem ſeptimum Februarij. Videtur autem ſanctus Martyr præter gladium etiam clauos perpeſſus. Scribit enim ſanctus Audoënus Eligium grandi labore atque inſtantiâ inueniſſe in territorio Medenatenſi vico Seclinio ſanctum Presbyterum & Martyrem Piatonem, qui clauos longos ex corpore oblatos populis in argumentum monſtrauit. Plura apud eundem Molanum vide hâc die, & Ioannem Cognatum in hiſtoria Tornacenſi. 1. Octob.

Digitized by Google

PETRVS EXORCISTA.

Gandaui.

CVm ſancto Marcellino Presbytero Romæ paſſus eſt per Serenum ſub Diocletiano circa annum Domini ducenteſimo nonageſimo, in Canone Miſſæ eorum fit mentio, atque in eorundem honorem Baſilica Romæ à Conſtantino Magno constructa eſt, in qua Helena mater eius condita, eſt & titulus eorum Cardinalitius per Gregorium Papam inſtitutus. Eorum Reliquiæ per Eynardum Caroli Magni Cancellarium Abbatem Gandenſem Roma Gandauum magna ex parte aduectæ ſunt. Vide Gazæum in hiſtoria Eccleſiaſtica Belgij.

QVIRINVS

EREMITA.

Iuxta Brugas.

11. Octo. MEmoratur à Gazæo in ſanctis Diœceſios Bruganæ, & vixiſſe dicitur in omni ſanctitate iuxta vicum D'Oſtreloo, vt ex Legendis eius loci & Epitaphio quod iſtic habet, conſtat quod tale eſt:

Hic iacet QVERELINVS Anachoreta, qui duodecim annis in hac Inſula noſtri loci conuerſatus eſt. Obiit anno Domini M. L X. vndecimo die Octobris.

REY-

REYNERIVS DOMINICANVS.

Brugis.

DE eo ſic Cantipratanus libro ſecundo, Apum capite decimo parte decima nona vidimus fratrem in Ordine Prædicatorum de domo Brugenſi in Flandria, Reynerum nomine iuuenem ſagacem ingenio & ſæcularibus literis inſtitutum. Hic ſtatim, vt Ordinem ingreſſus eſt, acriter ſtudio Theologiæ cæpit inſiſtere, ſed cùm nondum illuminata mens nec orationibus præparata ſtuperet ad lumen & nimiùs capax animus vento inconſtantiæ fluctuaret, cæpit cogitare velle diſcutere quem ſectarum Iudæorum, Gentilium, Chriſtianorum potiori veritatis culmine fulciretur. Videbat quidem quod Gentiles & Philoſophi naturali ratione regebantur, videbat & Iudæos legem antiquitatis à Deo accepiſſe, videbat & Chriſtianos euangelicis obſeruationibus gloriari, ſed quid in his certius tenendum eſſet ſegnius dubitabat, conuenit ergo Iudæos diſcuſſionem legis propoſuit. Sed cum fratres ordines vidiſſent ex frequenti collatione hominem fluctuare, arcendum eum à talibus cenſuerunt. At quoniam arctatus ignis acrior conſurgit in flammas, iuuenis in tantum diabolo ſtimulante grauatus eſt vt mediâ nocte fugam omnimodam attentaret, ſtatim ergo vbi ad exitum portæ venit, obuia illi fit Maris ſtella Virgo MARIA, ad portum ſalutis demum reductura; cui dixit, fluctuaſti à via deuius & veritatem in fide filij mei te dubitas inueniſſe. Noueas certiſſimè quòd diuerſis erroribus ſcatet per orbem gentilitas. Iudæi nihil ſolidi tenent, diuerſas vmbras ſequuntur nequitiæ tenebris obfuſcati: 1. *Aug.*

Euangelium verò nouæ gratiæ per hoc veritatem habere probatur, quod charitate, humilitate & caſtitate refulget, quæ tria in ordine quem intraſti purgato mentis oculo prærogatiuè videbis. Ego autem ſum Mater Chriſti Patrona Ordinis tui, quæ ſolita pietate paſſa non ſum tuam caſtam indolem decipi vel perire; his dictis glorioſa Virgo diſparuit, & iuuenem confortatum ac firmatum in fide, in magna cordis iucunditate reliquit. Hic idem in ordine tantum profecit, vt Lector in ordine fieret, & conſummatus in breui ad potiora tranſiret. Ita Cantipratanus, è quibus liquido conſtat eum cœleſtibus beatorum Choris adſcriptum.

REMBERTVS

EPISCOPVS BREMENSIS.

Thoroltanus.

4. Febr. NAtus eſt Thorolti in Flandria, quem adhuc puerum ſanctus Anſcharius in eius loci Monaſterio inſtituendum curauit; inſtitutum verò Comitem habuit, atque in Epiſcopatu ſucceſſorem. A Nicolao Primo Papa pallium accepit, & anno Domini octingenteſimo octogeſimo octo è vita exceſſit. Thorolti in in Diœceſi Brugenſi loco Monaſterij ſupereſt hodiè Canonicorum ſancti Petri Collegium. Vide Molanum die tertiâ Februarij, vbi latè de ſancto Anſchario & Remberto agit.

ROBER-

Digitized by Google

ROBERTVS BRVGENSIS.

A Beato Bernardo Dunenſium Abbas conſtitutus eſt & Sanctus ab Ægidio Dammio ſcriptore non incelebri nominatur ait Harduinus in manuſcripto Sanctorum Flandriæ indiculo. De eodem vide & Meyerum, ſucceſſit & diui Bernardo in Abbatia Claræuallenſi vixitque circa annum Domini milleſimum centeſimum octogeſimum.

SIDRONIVS MARTYR.

Romæ ſub Aureliano Principe Martyrio eſt coronatus, & ab Adela filia Roberti Regis & vxore Balduini Pij Comitis Flandriæ Meſſenas allatus. Quo loco ipſa annno milleſimo ſexageſimo quinto inſtituit Canonicorum Collegium, & Benedictinarum Monaſterium, vbi etiam ſacrum velamen marito orbata accepit. Vide Meyeri annales ad annum Domini milleſimum ſexageſimum ſecundum & milleſimum ſexageſimum quintum. 3. *Iulij.*

THEODORA MARTYR.

IN indice Sanctorum Flandriæ mſc. Dionyſij Harduini coniux dicitur Flandberti Flandrorum Reguli & in ſocietate vndecim millium Vrſulana cæſa. 22. *Oct.*

TEREN.

TERENTIANVS

Duaci.

14. *Iulij* TERENTIANVS Tuderti in Vmbria Epiſcopus ſub Hadriano Imperatore paſſus eſt. Eius corpus anno 1615. ad Eccleſiam Societatis IESV Duacenſem venit, Vide plura apud Miræum.

TORPHINVS EPISCOPVS

Brugis.

8. *Ian.* APud Brugas obitus Torphini Epiſciopi in Thoſtano Epiſcopali Monaſterio, quod Flandricè Doeſt dicitur, vbi hoc habet Epitaphium etſi ſimplici ſtylo in elenato Sarcophago. Hic iacet Dominus Torphinus, ex regno Norwegiæ ciuitatis Hamariæ Epiſcopus, qui pro iure Eccleſiæ de terra ſua exulatus, & in mari naufragatus, huc tandem veniens pauper & attenuatus per triginta ſeptimanas infirmatus hoſpitans & amore Chriſti miſericorditer ſuſtentatus ſancto fine quieuit anno Domini 1284. ſexto idus Ianuarij, &c. Vide Molanum.

VICTRICIVS EPISCOPVS

7. *Aug.* VICTRICIVS adhuc miles ſub Iuliano Imperatore pro Chriſto abijciens cingulum, à Tribuno multis tormentis afficitur, & capitis damnatur: ſed Carnifice qui ad eum cædendum miſſus fuerat cæcitate percuſſo, ipſe

ipſe vinculis ſolutis liber euaſit. Poſteà Epiſcopus Rotomagi factus, Morinorum & Neruiorum gentes indomitas verbi prædicatione ad fidem Chriſti perduxit, & demum Confeſſor in pace quieuit. Cæterum ſancti Victricij egregia facinora deſcribit ſanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus epiſtolâ vigeſimâ ſextâ ad ipſum ſcriptâ. Ad hunc ipſum Innocentius Papa decretalem ſecundam illam inſignem ſcripſit, quam hodie Nouatores imperitè & malignè carpunt.

VICTOR MARTYR.

Inſulis.

ANno milleſimo ſexcenteſimo decimo quinto corpus eius ad Eccleſiam Societatis IESV Inſulenſem magnâ ſolemnitate deuectum eſt. Vide ea de re Triumphum ſacrum Petri Halloſij eiuſdem Societatis Theologi, Miræum item in Faſtis. 14. *Iulij.*

VINCIANA VIRGO.

Gandaui.

VINCIANA claris Romæ natalibus orta, vnà cum fratre ſuo Landoaldo Archipresbytero, aliiſque nonnullis ex Italia in Galliam vſque Belgicam Chriſtianæ Religionis plantandæ cauſſa circa annum Domini 633. profecta eſt. Nec verò conatum eius piiſſimum euentus fefellit. Siquidem dum Amandus ac Landoaldus in Tungrorum ac Flandrorum ad fidem Chriſti conuerſione gnauiter laborarent ipſa interim, quibuſcumque modis po- 11. *Sept.*

X tuit

tuit, laboribus eorum cooperans, prædicationis opus maximè promouit. Tandem peregrinationis ſuæ decurſo tempore, plena operibus bonis in Wintershouia, Haſbaniæ vico anno Domini 643. migrauit ad Dominum tertio Idus Septembris, eſtque ibi à fratre ſuo Landoaldo decenter ſepulta; poſt annos autem ab obitu eius 327. ex illo loco ad Eccleſiam Diui Bauonis Gandenſis ſimul cum fratris ſui Landoaldi ac aliorum ſanctorum corporibus à Womaro Abbate tranſlata eſt.

WALBVRGIS VIRGO.

Furnis.

4. Aug. HVius & fratrum eius ſanctorum Wilibaldi & Wunibaldi Reliquiæ allatæ ſunt ex Germania anno Incarnationis Dominicæ octogenteſimo ſeptuageſimo per Balduinum Ferreum Flandriæ Comitem, & magno cum honore Furnis repoſitæ, inſtituto ad id Monaſterio Ordinis ſancti Benedicti, quod nunc eſt Canonicorum Collegium Diœceſis Iprenſis præcipua tamen S. Walburgis portio habetur Aichſtadij in Monaſterio, quod ab ea nominatur, vbi hodiè ex eius corpore oleum in ſubiectum argenteum vas miraculosè defluit, quod multis grauibus morbis medetur. Eleuata eſt inibi, & Sanctis adſcripta circa annum Domini octingenteſimum ſeptuageſimum.

Filia Regis erat, ſed egenam ſe faciebat;
Diues vt in Chriſto regnaret ſemper in ipſo.

WAN-

WANDREGISILVS.

In Blandinio.

FVit hic primùm ſub Dagoberto Comes Palatij, erat enim auus eius ſanctus Arnulphus Lotharienſis Princeps, & Metenſis Epiſcopus. Deinde cum ſponſa ſua in caſtitatem conſentiens, in aliquot Monaſteriis ſanctiſſimè vixit, denique Rotomagum famâ prædicatione & ſanctitate Audoëni beatiſſimi Epiſcopi vocatus, eiuſdem iuſſu à ſancto Audomaro Presbyter conſecratur, & ad riuum Fontanellam, eiuſdem nominis Cœnobium longè celeberrimum conſtruxit anno ſexcenteſimo quadrageſimo quinto, vbi ſub eo Monachorum numerus ad trecentos excreuit, dictuſque locus ob tanti Patroni & ſucceſſorum eius ſanctitatem multis prædiis fuit ditatus: quæcunque autem loca ſanctus Wandregiſilus peragrabat eadem verbis euangelicis condiebat. Caletanos qui aliena rapiebant, & præter Chriſtianum nomen bruti erant, ac belluis ſimiles, ita ſuâ prædicatione conuertit, vt in Sacerdotibus & Monachis Chriſtum adorarent, ac venerarentur. Vitam autem præſentem in meliorem commutauit, annum agens 95. Chriſti 664. ſuoſque ſucceſſores fore præuidit ſanctos viros Lantbertum Terouanenſem & Ansbertum, quorum prior beato Geneſio ſucceſſit in Præſulatu Lugdunenſi, poſterior Audoëno in Rotomagenſi. Poſt annos quadraginta à S. Baino Epiſcopo, Abbate Fontanellenſi tranſlatus eſt, & ita integer ab omni corruptione cum veſtimentis ſacerdotalibus repertus, quaſi eodem die fuiſſet ſepultus. Cæterum vrgente Normannica perſecutione Boloniam eſt tranſlatus, 22. *Iulij.*

Digitized by Google

maniam circa annum Domini 728. venit & anno 742. Synodo Ratiſponenſi & 743. Liptinenſi Synodo interfuit. Eius reliquiæ per Balduinum Ferreum vt in diua Walburge eius ſorore, ante diximus ad annum Domini 870. Furnas occidentalis Flandriæ opidum ſunt delatæ. Plura apud Molanum vide in natalibus hac die.

WINOCVS CONFESSOR

Bergis.

HEremarus vir nobilis, villam ſuam Wormhoult dictam in Flandria ſupra fluuium Pena B. Bertino traditur. Bertinus vero conſiderans viros Dei, Winocum & tres fratres eius in Dei ſeruitio plus cæteris profeciſſe eos illuc miſit Monaſteriolum conſtruere, conuentum congregare, Chriſtique pauperibus hoſpitia præparare. Quibus Heremarus villam ſuam Wormhoult cum appendicijs priuilegio ſuo firmauit: quod ſic incipit: Omnibus pręſentibus & futuris qui Chriſtiana cenſcentur, &c. Actum in Sithiu Monaſterio Kalen. Nouembris anno primo Hildeberti Regis. Illi Conuenticulo B. Bertinus conceſſit præeſſe S. Winocum, vbi miraculis concomitantibus Domino fine tenus inſeruiuit. Ita Iperius in Chronico Bertinenſi qui de S. Winoco eiuſque tribus fratribus hæc itidem commemorat: B. Winocus Iudicail Britonum Regis filius & S. Iudoci frater ſpreto mundo ſub B. Bertino in Sithiu Monaſterio Monachus efficitur cum tribus fratribus ſuis Kadanoco, Ingenoco & Modoco. Præerat tunc B. Bertinus turbæ CL. Monachorum inter quos Winocus quaſi ſtella matutina præ cæteris clareſcebat obijt autem anno 717. vide plura apud Miræum in faſtis ac Molanum in natalibus. *6. Nou.*

WVLFRAMNVS ABBAS

Gandaui in monte Blandinio.

20.*Mar.* WVLFRAMNVS relicto Epiſcopatu Senonenſi annis quinque apud Friſios, eorumque Regem Radbodum, in prædicanda Chriſti doctrina ſtrenuè laborauit. Quod opus Euangelicum poſtea SS. Wilibrodus & Bonifacius cum ſodalibus ſuis fœliciter ſunt proſecuti. Obiit S. Antiſtes in Fontanella anno 720. inde poſtea cum S. Wandregiſilo Gandauum ad Blandinienſe Monaſterium traſlatus: Vitam eius à Surio publicatam ſcripſit Ionas Abbas, qui eodem tempore vixit. Plura vide apud Molanum in natalibus.

WVNIBALDVS.

Furnis.

18.*Dec.* PResbyter laudatiſſimus, filius fuit ſancti Richardi Anglorum Regis Lucæ in Italia ſepulti. Fratrem habuit ſanctum Willibaldum & ſanctam Walburgem Virginem. De eo ſic Ludgerus primus Epiſcopus Monaſterienſis in vitæ ſancti Gregorij, Antiſtitis Vltraiectini: Willibaldi germanus nomine Winibaldus, Presbyter magiſtro meo Gregorio valde carus fuit, qui poſt obitum ſuum, quid viuens fecerit magnis miraculis oſtendit.

WIN-

Digitized by Google

WINWALOCVS ABBAS.

Gandaui in monte Blandinio.

FLoruit temporibus S. Patricij Hiberniæ Apoſtoli. *3. Mart.*
Eius lipſana ſæuientibus per Britanniam Normannis, primùm in Galliam & inde Gandauum ad Blandinienſe S. Petri Cœnobium ſunt auecta, cuius tranſlationis ibidem annua fit commemoratio Kal. Auguſti. Diſcipulum habuit S. Ethinum Diaconum, cuius feſtum incidit in diem 19. Octobris. Claruit autem inter Britannos, ait Molanus ex monimentis Blandinienſibus & hiſtoria Londini excuſa, ſanctitate multâ & in digito Dei non pauca patrauit miracula; vnde nomen eius adhuc viuentis in tota Britannia celebrè erat, & velut Angelus Dei ab hominibus honorabatur. Plura vide apud eundem & Surium.

ZEGHERVS INSVLENSIS.

FVit Zegherus Ordinis Prædicatorum, & quanquam *1. Aug.*
inſulis Fladrorum natum eſſe non conſtet, ea tamen in vrbe commoratum legimus in quâ viciniſque Flandriæ opidis concionibus habendis & hominibus ad meliorem vitam reuocandis inſignem nauauit operam, eoque in numero vere Apoſtolico cùm alios plures cæleſtibus monitis vitæ huius oblectamenta contemnere vnique Deo adhærere velut B. Matthæus Iphigeniam, ita vt Margaretam Iprenſem Deo conſecrauit, cum eum Ipris aliquando peractâ concione in templo pro illius populi ſalute Deum precaretur in promiſcua virorum mulierumque turba Margaretam vidit puellam hactenus ei incognitam ad

mundi

mundi vanitates compoſitam variogue veſtium luxu ornatam, Deoque reuelante cognouit futuram deinceps vitæ ſanctimonia celebrem. Quare eam è multitudine vltro ad ſe vocat, ad cor loquitur, ad mundi deſpectum hortatur, meliores nuptias cœleſteſq; delitias proponit, Chriſtum ei ſponſum vouet, & tandem illo propitio, atque è cœlis cooperante, omnem vanitatis flammam in Margareta extinxit, & meretricem mundi amorem in caſtum virginum ſponſi ignem cõmutauit, totaq; eam deinceps vita magnis ſanctimoniç exemplis tanquã lucerna ardens & lucens anteiuit: fuit ſiquidem vitæ regularis accuratus obſeruator, diligenter ſatagens eas primò in ſe virtutes habere ad quarum amorem alios hortabatur, aſſiduo pietatis ſtudio didicit mundum odiſſe, & præ opibus vaniſque voluptatum illecebris crucem complecti, deinde pro ſui ordinis inſtituto omni quâ potuit ſedulitate importunis acribuſque correptionibus vitia publicè eſt inſectatus, oportuniſque monitionibus torpeſcentes animos ad meliorem vitam excitauit. Præclara verò B. Zegheri ſanctitas, pluribus eius videndi deſiderium peperit; quo factum vt Flandriç Princeps Ioanna, Cameracenſis Epiſcopus, aliique Primates ſæpius eum ad ſe euocarint, tum vt virtutis imagine recrearentur tum vt ſalutaria vitæ melioris documenta à viro verè Apoſtlico auidè exciperent. Plura apud Choquetium vide. Eius memoriam Kal. Auguſti Miræus in Faſti recolit, & floruiſſe ſcribit 1236. poſt natalem Chriſti.

INDEX.

Digitized by Google

INDEX SANCTORVM ET VENERABILIVM VIRORVM AC MVLIERVM FLANDRIÆ.

A.

Amandus 6. Februarij.
Amantius Diaconus. 19. Martij.
Adelhardus Abbas. 2. Ianuarij.
Adrianus Internuntius. 19. Martij.
Ægidius à S. Audomaro Kalen. Auguſti.
Ægidius Amicus Monachus Bodelonenſis.
Agricolus Epiſcopus Trajectenſis.
Achas puer Toroltanus. 11. Iunij.
Adrianus Martyr 8. Septembris.
Adegundis Virgo 20. Iunij.
Amelberga Virgo. 11. Iulij.
Atta Abbas Blandinienſis.
Amatus Epiſcopus Senonenſis. 13. Septembris.
Adelinus Confeſſor. 27. Iunij.
Aibertus Recluſus. 2. Maij.
Acharius Epiſcopus. 27. Nouembris.
Alanus Inſulenſis. 14. Octobris.
Arnulphus Epiſcopus Sueſſionenſis 18. Auguſti
Arnulphus à Majorica.
Amelia Swinekana.
Anſcharius Epiſcopus Bremenſis. 3. Februarij.
Adeltrudis. 19. Martij.
Adilia Soror D. Bauonis. 25. Maij.
Ansbertus Epiſcopus Rothomagenſis. 9. Februarij.
Adalbaldus Marchianenſis. 2. Februarij.
Antonius Timmarmannus.
Antimundus Epiſcopus Terouanenſis, prædicauit in Flādria.

B.

Balduinus de Bocla.
Balduinus Gandenſis. 1. *Aug.*
Barbara Virgo & Martyr. 4. *Decembris.*
Baſinus Martyr. 14. *Iulij.*
Bauo Gandenſium Patronus. 1. *Octobris.*
Bertulfus Confeſſor. 5. *Februarij.*
Brixius Martyr. 12. *Nouembris.*
Bernardus Clarevallenſis. 20. *Auguſti.*
Bernardinus Senenſis. 20. *Maij.*

C.

Carolus Flandriæ Comes. 2. *Martij.*
Canutus Rex Daniæ. 10. *Iulij.*
Cæleſtinus Rotnacenſis. 17. *Mai.*
Coleta Virgo. 6. *Martij.*
Condedus Monachus.
Columbanus Recluſus.
Chryſolius Epiſcopus. 7. *Februarij.*
Chriſtiana Virgo 26. *Iulij.*
Craphahildis Martyr. 12. *Nouembris.*
Chriſtianus Confeſſor.
Cornelius & Cyprianus Rotnaci 14. *Septembris.*
Cruor Domini Sacroſanctus. 3. *Maij.*

D.

Dommelinus. 1. *Octob.*
Donatianus. 14. *Octobris.*
Dulcia Meſſinenſis.
Dunſtanus Gandaui exul. 19. *Maij.*

E.

Erembertus in Blandinio.
Emilion Epiſcopus Martyr.
Eleutherius Epiſcopus. 20. *Februarij.*
Eunucius 10. *Septembris.*
Euſtacius Bodeloanus.
Eligius Epiſcopus. 1. *Decembris.*
Eubertus Epiſcopus. 1. *Februarij.*
Euſebia Marchianenſis. 16. *Martij.*
Eduardus. 29. *Decembris, idem cum Hilduardo Teneramundæ. Obijt.* 750.

F.

Fledericus Confeſſor. 13. *Sept.*
Flandri Martyres Olyſſipone. 18. *Octobris.*
Florbertus Abbas. 1. *Nouembris.*
Fulco Vienhouius.

G.

Gerulphus Martyr. 21. *Septemb.*
Georgius Iuſtus. 5. *Auguſti.*
Gerardus Abbas. 3. *Octobris.*
Grimbaldus Abbas. 8. *Iulij.*

Gud-

Digitized by Google

Gudwalus Epiſcopus. 6. *Iunij.*
Guthagonus Rex Scotiæ. 3. *Iulij.*
Geruinus Abbas. 17. *Aprilis.*
Gertrudis de Pottellis.
Gertrudis. 6. *Decembris.*
Godelina Martyr. 6. *Iulij.*
Godehardus. 5. *Maij.*
Goswinus. 9. *Octobris.*
Guiuina virgo Brugis.
Gualterus Epiſcopus. 22. *Ianuarij.*
Gurdinellus. 16. *Octobris.*
Gudila. 8. *Ianuarij.*
Gedericus Monachus
Gordianus Eremita. 16. *Octobris.*

H.

Hildebertus Abbas. 1. *Octobris.*
Hermes Rotnacenſis. 28. *Auguſti.*
Hillonius. 7. *Ianuarij.*
Hilduardus. 29. *Decembris.*
Hidulphus Epiſcopus. 11. *Iulij.*
Herimannus & Bertildis.
Hunfridus Epiſcopus. 8. *Martij.*

I.

Idaberga Virgo.
Ida Vidua. 13. *Aprilis.*
Ida Virgo. 20 *Iunij.*
Ioannes Eremita. 29 *Septembr.*
Ioannes Agnus. 1. *Auguſti.*
Irenæus. 20. *Februarij.*
Ioannes Mota.
Ionatus Abbas Marchianenſis. 1. *Auguſti.*
Iulianus Confeſſor. 19. *Martij.*
Ioannes Abbas Blandinienſis.
Iacobus Martyr. 9. *Iulij.*
Ilerius Epiſcopus. 14. *Octobris.*

L.

Landoaldus Archipresbyter. 19. *Martij.*
Landrada. 8. *Iulij.*
Leuina Virgo & Martyr. 22. *Iulij.*
Lietbertus Epiſcopus. 23. *Iunij.*
Leuinus Martyr. 12. *Nouembris.*
Lucia. 22. *Octob.*

M.

Macarius Patriarcha. 10. *Aprilis.*
Marcellinus Presbyter. 2. *Iun.*
Martinus Turonenſis. 11. *Nouembris.*
Margarita Iprenſis. 20. *Iulij.*
Maurontus Confeſſor. 5. *Maij.*
Maximus Epiſcopus. 8. *Martij.*
Medardus Epiſcopus. 8. *Iunij.*
Memoria B. Mariæ Virginis in monte Blandinio.
Mommelinus. 16. *Octobris.*

N.

Nicolaus Dominicanus. 9. *Auguſti.*

Digitized by Google

O.

Odo Dominicanus. 1. *Auguſti.*
Odo Epiſcopus Cameracenſis. 19. *Iunij.*
Oneſimus Epiſcopus. 13. *Maij.*
Oſwaldus Rex. 5. *Auguſti.*

P.

Pancratius. 12. *Maij.*
Piatus martyr. 1. *Octobris.*
Pharaildis Virgo. 4. *Ianuarij.*
Petrus Exorciſta.

Q.

Quirinus Eremita. 11. *Octobris.*

R.

Rembertus Epiſcopus Hamburgenſis. 4. *Feb.*
Reynerius Dominicanus. 1. *Auguſti.*
Richardus Aquicinctinus. Locrius 358.
Robertus Brugenſis.

S.

Sidronius martyr.

T.

Terentianus martyr. 14. *Iulij.*
Torphinus Epiſcopus Norwegiæ. 8. *Ianuarij.*
Theodora. 22. *Octobris.*

V.

Victor martyr. 14. *Iulij.*
Vinciana Virgo. 11. *Septembris.*
Victritius Epiſcopus. 7. *Augu.*

W.

Walburgis Virgo. 4. *Auguſti.*
Walimbertus Abbas. 31. *Decemb.*
Walbodus Epiſcopus. 20. *April.*
Wandregiſilus. 22. *Iulij.*
Winocus Confeſſor. 6. *Nouembris.*
Winwalocus Abbas. 3. *Martij.*
Wulframnus Abbas. 20. *Martij.*
Willibaldus Epiſcopus. 7. *Iulij.*
Wunibaldus Abbas. 18. *Decem.*

Z.

Zegherus Inſulenſis. 1. *Augu.*

FINIS.